

QUAE DE IUDAEORUM ORIGINE
IUDICAVERINT VETERES.

PROGRAMMA
GYMNASII AUGUSTANI AD ST. STEPHANI
MDCCCLXXXI

SCRIPSIT

DR. P. THEOBALDUS LABHARDT.



AUGUSTAE VINDELICORUM.

TYPIS PH. J. PFEIFFERI.

MDCCCLXXXI.

gau
5 (1881)

OCCE DE HYDROPHORI ORIGINI
HEDICAVERTIT VITIBUS



DE P. THEODORUS LABHART

ANSTATT ZINDEHORN

Prooemium.

Quae scriptores Graeci et Latini de exteris nationibus nobis tradiderunt, ea magnam vim atque auctoritatem habere dignaque esse, quae cognoscantur, praesertim quum illarum nationum scriptores domestici aut omnino non exstiterint aut eorum libri penitus interierint, nemo est, qui infitietur. Sed eiusmodi literae, quantumvis ad historiam illustrandam iis tribuamus, tamen non minus propterea sunt aestimandae, quod domestici quoque scriptores de earundem nationum rebus gestis, moribus, religionibus scripserunt.

Iam vero libros Taciti magna cum animi voluptate atque delectatione legentes eiusque viri, qui inter principes post hominum memoriam auctores est numerandus, doctrinam, quam et in rerum sua aetate gestarum memoria et in excursibus permultis exhibet, saepe admirantes praeter alia praecipue in ea incidimus, quae de Iudaicae gentis origine, institutis, religionibus disputat. Quae si cum domesticis eius gentis libris monumentisque conferimus, multa mire prave perverse dicta esse videmus. Cum autem haec accuratius inspiceremus atque causas fontesque inquireremus, aliorum quoque scriptorum varias de Iudaeorum origine sententias invenimus. Itaque quaecunque veteres de eius nationis

origine nobis tradiderunt, congerere et, quoad eius fieri posset, disponere atque explicare nobis proposuimus. Verum cum propter temporis brevitatem huiusque libelli fines non liceat omnia nunc disserere atque accuratius illustrare, hac dissertatione unam partem persequemur, alteram futurae occasioni seposuimus ac reservavimus.

Sed priusquam rem ipsam perscrutemur, pauca, quae necessaria esse videntur ad rem recte intellegendam, de Iudaeorum adversus Graecos Romanosque conditione nos praeferi oportet.

Quae poteramus nancisci operis nostri praesidia, quaeque a superioribus eius rei investigatoribus doctissimis erant praeparata, omnia conghessimus et, quantum eius fieri poterat, in rem nostram convertimus.

I.

Quae fuerit Iudaeorum adversus Graecos Romanosque conditio.

Iudaicam gentem ante Alexandri Magni aetatem et Graecis et Romanis penitus ignotam fuisse affirmamus. Cuius rei causas si altius exquiremus, cum eius gentis loci naturam temporumque rationem, tum religiones moresque fuisse inveniemus. Erat enim sita Palaestina sive Iudaea, ut posteriores eam vocant, in angulo orientali, ubi Asia et Africa confines inter se contingunt, inter Phoenicem et Arabiam Petraeam eremumque magnum Syro-Arabicum a Nilo usque ad Euphraten pertinentem, quae terra undique quidem erat inclusa a clarissimis illius temporis nationibus ut Babyloniorum, Assyriorum, Medorum, Persarum, Aegyptiorum, Phoenicum, sed nihilominus ab omni parte segregata. Nam a meridie et oriente deserta eam cingunt, a septentrione mons Libanus usque ad mare procurrit et muri instar ad Damascum versus longe introrsus pertinet. Denique cum adverso maris impetu et inopia portuum valliumque transversarum a mari exclusa esset terra, neque exteri ut ingrederentur, neque Iudaei ut exirent alliciebantur. Gentis Iudaicae autem origines, quae sane ab illo tempore, quo Moyse duce ex Aegypto emigravit¹⁾, repetendae sunt — tum enim Iudaei populus esse coeperunt — in id tempus cadere constat, quo historici Graeci nondum

¹⁾ De temporum ratione docti vehementer inter se discrepant; Lepsius et Gumpach 1314; Bunsen 1320; Ideler vero 1667; cf. Junker „Beiträge zur Chronologie und Geschichte im Alterthume“. Leipz. 1863. p. 24 sqq. Duncker „Geschichte des Alterthums“ annum 1330 fuisse auctor est, tom. 1, p. 158 et 400; Cf. Maspero „Geschichte der morgenl. Völker im Alterthum“, übers. v. Pietschmann. Leipz. 1877, p. 258.

exstiterunt. Quin etiam cum respublica Iudaica magis magisque augebatur regibusque Davide et Salomone maxime florebat, gentes Graecae nondum certas sedes ac domicilia occupaverant. Paulo autem post regna inter se divisa et fracta labi coeperunt, quo factum est, ut Palaestina brevi finitimis Asiae nationibus in praedam cederet. Itaque eo tempore, quo in Graecia primi rerum scriptores existebant, nationem Iudaeorum quasi in orbis terrarum theatro partes suas iam transegisse, ipsam totam fere cum aliis nationibus coaluisse ob eamque rem evanuisse neminem latet. Cyro quidem, rege Persarum, rerum potito a. 536 pars exigua Iudaeorum, quos reges Babyloniae terra subacta in longinquas regiones transportaverant, in patriam rediit. Sed nihilominus nequaquam fieri potuisse, ut illae reliquiae parvae sane — pars enim longe maxima in Babylonia remanserat — publica libertate privatae Graecos tum in se converterent, nemo est, qui nesciat. Quod autem ab aliarum nationum scriptoribus ut Babyloniis, Phoenicibus aliisque de Iudaeis nonnulla tradita esse legimus ¹⁾, haec omnia, si unquam exstiterent, aut cum illis nationibus interiisse neque ad posterum pervenisse aut literas monumentis inscriptas Graecos rerum scriptores latuisse putamus.

Huic conditioni apta atque connexa erat eorum solitudo quaedam religiosa, qua potissimum ab aliis nationibus seiungerentur. Omnes enim fere leges Iudaeorum id spectabant, ne cives cum exteris gentibus plurium deorum cultui deditis convenirent neve commiscerentur, cum timendum esset, ne sacra patria desererent novasque superstitiones introducerent. Tum enim legibus sancitum erat, ut Iehovam unum summum deum colerent; quas si quis contemnere ausus erat, capitis

¹⁾ Iosephus quidem refert (Ant. I, 7, 2.), Berosum Babylonium Abrahami mentionem facere idque ex tabulis publicis in templis servatis hausisse. Haec omnia aliaque id genus aut a Graeco scriptore, qui sacros Iudaeorum libros adierat, sub Berosi nomine edita aut ab Iudaeo Hellenista conficta esse verisimile est. Cf. Schmitthenner „De rebus Iudaicis, quaecunque prodiderunt ethnici scriptores Graeci et Latini“. Programma. Weilburgi, 1844, p. 15 sq.

supplicio eum affectum esse inter omnes constat. Huc accedit, quod Iudaei, cum eorum respublica libera erat, mercaturam ita non fecerunt, ut cum occidentis nationibus minime com-
mearent, sed omnes fere agrorum cultores erant¹⁾.

Numquid igitur disputatione opus est demonstrare, usque ad Alexandri Magni aetatem Iudaeorum ne nomen quidem Graecis scriptoribus notum fuisse? Hoc etiam de Herodoto, magno illo rerum scriptore, dicendum est; qui quidem primus „*τοὺς Σύρους τοὺς ἐν Παλαιστίνῃ*“²⁾ et „*Συρίην τὴν Παλαιστίνην*“³⁾ commemorat, quem vero Iudaeos ipsos non cognovisse, immo cum reliquis illius regionis gentibus confudisse ex iisdem locis apparet, in quibus Syrorum Palaestinensium mentionem facit et de circumcisione apud illos usitata disputat⁴⁾. Haec quidem verba ad Iudaeorum instituta esse referenda nemo infitietur, cum Philistaei ab hoc more penitus abhorrent⁵⁾; Herodotum vero hoc non ab Iudaeis audivisse — certe enim non ab aliis hunc morem se accepisse affirmassent — sed ut multa alia ab Aegyptiis sacerdotibus, apud quos similem ritum invenimus⁶⁾, nobis quidem certum atque exploratum esse videtur. Denique de urbe Cadyti, cuius Herodotus bis mentionem facit⁷⁾, docti inter se discrepant, utrum Hierosolyma, caput gentis Iudaicae, an alia Palaestinae urbs sit intellegenda. Sed si ipsius verba accuratius inspicimus simulque, in qua fuerit conditione tum caput gentis Iudaicae brevi

¹⁾ Moyses ipse Iudaeos imprimis agros colere voluit agriculturamque consecravit, terram Iehovae esse, Iudaeos autem non dominos, sed quasi colonos declarans (III Moys. 25, 23.); cf. Allioli „Handbuch der biblischen Alterthumskunde“, tom. I. p. 44 sqq., p. 62 sq. Herzfeld „Handelsgeschichte der Juden des Alterthums“. Braunschweig, 1879, p. 7 sqq., p. 17 sqq.

²⁾ Herod. II, 104; III, 5; VII, 89.

³⁾ ib. II, 106; III, 91; IV, 39.

⁴⁾ ib. II, 104; cf. l. l. et I, 105; II, 157, 158.

⁵⁾ Iudic. 14, 3; 15, 18. I Reg. 14, 6; 17, 26; 18, 25. 27 etc.; cf. Winer „Bibl. Realwörterbuch“ I. p. 184 sqq.

⁶⁾ Herod. II, 104. Ambros. de Abrahamo c. XII. Clem. Strom. I. p. 302. Cf. Duncker l. l. I. p. 206.

⁷⁾ Herod. II, 159; III, 5.

ex tempore restitutum¹⁾ perpendimus, urbem illam „Κάδυν“ minime Hierosolyma esse intellegenda apparet²⁾. Unde licet colligere Herodotum, cum per illas regiones in Aegyptum proficisceretur, non nisi terras mari finitimas peragrasse neque Iudaeos ipsos cognitos habuisse³⁾.

Haec vero rerum ratio maxima totius fere orbis terrarum conversione penitus est commutata, cum Alexander Magnus magno exercitu Macedonum et Graecorum a. 334 Hellespontum transgressus esset, ut regnum Persarum latissime patens, quod ipsius naturae vitiis iam diu laborabat, dissolveret eiusque ex ruinis novum imperium constitueret. „Die macedonische Expedition“, ut verbis viri doctissimi⁴⁾ utar, „welche einen grossen Theil der Erde dem Einflusse eines so hochgebildeten Volkes (i. e. Graecis) eröffnet, kann im eigentlichen Sinne als eine wissenschaftliche Expedition betrachtet werden, ja als die erste, in der ein Eroberer sich mit Gelehrten aus allen Fächern des Wissens, mit Naturforschern, Landmessern, Geschichtschreibern, Philosophen und Künstlern umgeben hatte“. Nam nemo antea Graecis quasi portas orientis aperuerat, atque illius expeditione, cum expugnatio simulque cognitio coniunctae essent, factum est, ut Asiae terrae usque ad illud tempus et notae et incognitae in unum corpus coalescerent⁵⁾. Tum demum Iudaei quoque e solitudine egredi et in lucem ita prodire coeperunt, ut paulo post in omnes fere regiones se effunderent. Qui cum collocati essent in medio orbis antiqui populis undique inclusi, fieri non potuit, quin iis, quae obstabant, impedi-

¹⁾ Haneberg „Geschichte der bibl. Offenbarung“ 1863, p. 413.

²⁾ Hanc urbem Herodoteam uno loco (III, 5.) Gazam, altero (II, 159) aliam urbem, fortasse Kedes in Galilaea, esse intellegendam probabile est. Cf. Maspero l. l. p. 490 annotat. 2. Contra Hitzig („Urgeschichte der Philistäer“, p. 95—105); et Stark („Gaza und die philistäische Küste“, 1852, p. 218 sqq.), qui utroque loco Herodotum Gazam nominare censent.

³⁾ Contra Freudenthal „Hellenistische Studien. Alexander Polyhistor“. Breslau, 1875, p. 177.

⁴⁾ Humboldt „Kosmos“, II. p. 192.

⁵⁾ Droysen „Geschichte des Hellenismus“ II. p. 1.

mentis remotis brevi apud omnes innotescerent. Itaque ex illo tempore Iudaei reperiuntur non solum in regionibus ad Euphraten Tigrimque sitis¹⁾, in Syria et Asia minore²⁾, sed etiam per maximam Africae partem, imprimis per Cyrenaicam³⁾ plurimas Iudaeorum colonias collocatas esse videmus; Aegyptus vero, in quam iam antea regno a Babyloniis everso confugerant, postea Ptolomaeus II. Philadelphus magnam gentis partem per vim deduxerat, iis altera quasi patria facta est⁴⁾. Graecia⁵⁾ quoque et insulae⁶⁾, atque adeo Italia et Roma ipsa⁷⁾ Iudaeos colonos acceperunt. Itaque iam circa annum 140 a. Chr. n. Sibyllae dicere licuit, omnes terras, omniaque maria illa gente esse plena⁸⁾; his similia scripserunt Strabo⁹⁾, Flavius Iosephus¹⁰⁾, Philo¹¹⁾. Etenim cum in exilio mercaturam copiosissimam facere

¹⁾ Ios. Ant. XI, 5, 2; XV, 2, 2; XVIII, 9.

²⁾ Ios. Bell. Iud. VII, 3, 3; imprimis Damasci, Ios. l. l. II, 20, 2; Philo, Leg. ad Caium §. 33: *Ἰουδαῖοι καθ' ἐκάστην πόλιν εἰσὶ παμπληθεῖς Ἀσίας τε καὶ Συρίας*. Ios. Ant. XII, 3, 4 etc.

³⁾ Ios. C. Apion. II, 4; Strabo apud Ios. Ant. XIV, 7, 2; XVI, 6, 1; Bell. Iud. VII, 11; Vita 76. Corp. Inscr. Graec. n. 5361.

⁴⁾ Philo in Flaccum §. 6; Ios. C. Apion. II, 4; Ant. XIX, 5, 2; Bell. Iud. II, 18, 8; Hecateus apud Ios. C. Apion. I, 22; Alexandriae magna multitudo Iudaeorum domicilium collocaverat. Philo, Legat. ad Caium §. 20; in Flaccum §. 8.

⁵⁾ Act. Apost. 17, 1. 10. 17; 18, 4. 7; Cf. Corp. Inscr. Graec. Vol. IV, n. 9900 et n. 9896.

⁶⁾ Velut Euboea: Philo, Legat. ad Caium §. 36: Cyprus: Act. Apost. 13, 4 sqq.; Ios. Ant. XIII, 10, 4. Dio Cass. LXVIII, 32; Creta: Ios. Ant. XVII, 12, 1; Bell. Iud. II, 7, 1; Vita 76.

⁷⁾ Philo, Leg. ad Caium 23; Cic. pro Flacco 28; Ios. Ant. XVII, 11, 1; Bell. Iud. II, 6, 1. Testimonia posterioris temporis, cum sint omnibus nota, hoc loco enumerare supervacaneum est.

⁸⁾ Orac. Sibyll. III, 271: *Πᾶσα δὲ γαῖα σέθεν πλήρης καὶ πᾶσα θάλασσα*.

⁹⁾ Strabo apud Ios. Ant. XIV, 7, 2: *εἰς πᾶσαν πόλιν ἤδη παρεληλύθει, καὶ τόπον οὐκ ἔστι ῥαδίως εὑρεῖν τῆς οἰκουμένης, ὅς οὐ παραδέδεκται τοῦτο τὸ φῦλον, μηδ' ἐπικρατεῖται ὑπ' αὐτοῦ*.

¹⁰⁾ Bell. Iud. II, 16, 4: *οὐ γὰρ ἔστιν ἐπὶ τῆς οἰκουμένης δῆμος ὁ μὴ μοῖραν ὑμετέραν ἔχων*. cf. VII, 3, 3.

¹¹⁾ Philo in Flaccum §. 7: *... τὰς πλείστας καὶ εὐδαιμονεστάτας τῶν ἐν Εὐρώπῃ καὶ Ἀσίᾳ κατὰ τε νήσους καὶ ἡπείρους ἐκνέμονται* ... Cf. Schürer „Lehrbuch der neutestamentlichen Zeitgeschichte“. Leipz. 1874, p. 619 sqq.

didicissent¹⁾, hoc studium postea magnopere auctum maxime valuit ad colonias deducendas. Hanc vero propagationem consecuta est mutatio morum gravissima. Nam ii Iudaeorum, qui extra patriam versabantur, paulatim mores Graecos linguamque Graecam ita asciscebant, ut sermo patrius, id est lingua Aramaea, paene oblivione obrueretur. Id quidem tum facilius fieri poterat, postquam Ptolomaeus II. Philadelphus (284—246), qui haud scio an pio Iudaeorum desiderio satis facere cupiverit, libros Moysis in linguam Graecam transferendos curavit²⁾, quod factum plurimum valuit ad cognitionem rerum Iudaeicarum, quas tum etiam scriptores Graeci scribere coeperunt. Ex quo enim Iudaei magnis certaminibus, quibus Alexandri praematura morte abrepti successores desumma rerum certabant, implicabantur, eorumque terra certaminis praemium erat, Graeci gentem istam solitariam atque singularem cognoscere atque describere non alienum a se putabant, inprimis, quae esset eorum origo, qui mores, quae instituta, quae religiones, indagare et inquirere. Et profecto magna pars earum rerum, quae nobis de Iudaeis tradita sunt, si non ex sacris libris ipsis emanavit, tamen ad illos aliquo modo referenda est; pleraque sane perverse illi scriptores interpretabantur, multa in peius mutabant atque depravabant. Plerosque enim scriptorum Graecorum et postea Romanorum ira, odio, improbitate captos de Iudaeis inique, quin etiam infeste invidioseque iudicasse constat. Cuius rei causas accuratius indagare atque illustrare opus non est, cum iam alii fusius de hac re disputaverint³⁾; satis erit summas paucis lineis attingere atque designare.

¹⁾ Allioli l. l. I. p. 63; Herzfeld l. l. p. 52 sqq.

²⁾ Ios. Ant. XII, 2; C. Apion. II, 4; Philo, Vita Mosis II, §. 5—7.

³⁾ Cf. Geiger „Quid de Iudaeorum moribus atque institutis scriptoribus Romanis persuasum fuerit“. Berolini, 1872. Goldschmidt „De Iudaeorum apud Romanos condicione“. Halis Saxoniae, 1866. Scheuffgen „Unde Romanorum de Iudaeis opiniones conflatae sint“. Pars I. Progr. Coloniae, 1870. Müller „Kritische Untersuchung der taciteischen Berichte über den Ursprung der Juden“. Stud. und Krit. 1843. Frankel „Monats-

Ac primum quidem eius rei causam nullam aliam fuisse censemus, quam quod Iudaei sacra patria, quae ab omnibus aliarum nationum religionibus maxime abhorrerent, summa constantia tuebantur. Namque cum antea fastidio legum Moysis saepe aegre tulissent Iehovam deum unum colere atque obliquis oculis altaria exterarum nationum respicientes semper parati fuissent sacra publica deserere novasque superstitiones inducere, tum multis, quas in exilio passi erant, miseriis emendati correctique atque pristino aliarum religionum studio penitus liberati in patriam redierant. Et quamquam omnia fere eorum sacra interierunt, tamen studium cultus Mosaici non eversum, immo plane immutatum atque ita auctum erat, ut summa cum religione sacra exsequentes omnes vires intenderent ac denique pro illis vitam profundere non timerent; iis non solum maiorum auctoritas, sed ipsa legis litera sacrosancta erat. Itaque ubi primum Iudaei et Graeci congressi sunt, in illorum arbitrio fuit — Graeci enim natura moribusque idonei erant ad motum fortunae se movere alienisque religionibus se aptare applicareque — utrum odium inimicitiasque exercere an amicitiam foedusque contrahere mallent. Quodsi Iudaei, quae habebant summa sanctissimaque bona prodere seque ipsos deserere noluerunt, inimicitias suscipere oportebat, id quod fecerunt. Quae cum ita essent, scriptores Graeci et Romani Iudaeorum cultum fastidientes et magna ex parte parum intellegentes non abstinebant, quin eos eorumque instituta acerbissimis facetiis irriderent et calumniarentur. In primis quattuor res erant, quae iterum ac saepius impugnabantur; arguebantur enim Iudaei deum unum¹⁾, invisibilem²⁾, nulla effigie expressum³⁾ venerari; deinde septimum quemque

schrift für Geschichte und Wissenschaft des Judenthums“. 1856, 1860, 1872. Goeser „Berichte des classischen Alterthums über die Religion der Juden“. Tübinger Quartalschrift 1868.

¹⁾ Dio Cass. XXXVII, 17: *ἓνα δὲ τινα ἰσχυρῶς σέβουσι*. Orig. c. Cels. I, 24; Minutius Felix, Oct. 10. Paucis et praecise dicit Hadrianus (Vop. Sat. 2.): unus ille deus nullus est.

²⁾ Dio Cass. l. l. *ἀρρητόν καὶ ἀεὶ δὴ αὐτὸν εἶναι*.

³⁾ Strabo XVI, 2, 35; Tac. Hist. V, 5: mente sola numen intelle-

diem summa cum fide celebrare; tum certis cibis potissimum suum carue abstinere; denique genitalia circumcidere. Quid non veteres Iudaeorum deum esse putabant? Alii coelum coelique nubes illos adorare¹⁾, alii deum quemdam incertum et ignotum²⁾; atque ut has tantas angustias evitarent, certum deum illis supponere conabantur. Itaque fuerunt, qui Iudaeorum deum nullum alium, quam Saturnum³⁾ esse traderent, alii Liberum patrem in honore esse⁴⁾; quae omnia ab aliis vana arguuntur⁵⁾. Atqui si cum his verbis mores Iudaicos conferimus et per omnes fere leges Moysis alienorum deorum cultum claris verbis condemnari et improbari consideramus, denique Iudaeos ipsos saepe pravo animi ardore nimiaque diligentia studuisse videmus, quidquid quamvis exiguum speciem effigiei vel imaginis praeberet, respuere⁶⁾; profecto nobis non

gunt. Cf. Hecataei fgt. apud Diod. XL, 3 (Müllerus „Fragmenta Historicorum Graecorum“ II. p. 391).

¹⁾ Strabo XVI. 2, 35: *εἴη γὰρ ἐν τοῦτο μόνον θεὸς τὸ περιέχον ἡμᾶς ἀπαντας, καὶ γῆν καὶ θάλατταν, ὃ καλοῦμεν οὐρανόν . . .* Hecataei fgt. apud Diod. l. l. . . . *ἀλλὰ τὸν περιέχοντα τὴν γῆν οὐρανόν μόνον εἶναι θεὸν καὶ τῶν ὄλων κύριον.* Petronius Arb. fgt. XXXV: Iudaeus licet . . . coeli summas advocet auriculas. Iuven. Sat. XIV, 97: nil praeter nubes et coeli numen adorant. Celsus apud Orig. c. Cels. V, 6. 41.

²⁾ Lucan. Phars. II, 392: incertus deus. Trebellius Poll. Claud. 2: incertum numen. Dio Cass. XXXVII, 15: *ὑπὲρ τῆς τοῦ σφαιτέρου θεοῦ, ὅστις ποτὲ οὗτος ἐστίν.* Caecilius apud Minut. Fel. Oct. 10: Unde vel quis aut ubi deus unicus. Tac. Hist. V, 5: summum illud et aeternum neque imitabile neque interitum.

³⁾ Tac. Hist. V, 4: alii honorem eum (sc. sabbatum) Saturno haberi. Hic error, unde sit ortus, facile intellegas. Apud Eupoleum enim (Euseb. Praep. Ev. IX, 17.) scriptum est: *Βαβυλωνίους γὰρ λέγειν πρῶτον γενέσθαι Βῆλον, ὃν εἶναι Κρόνον* (vel Saturnum). Atqui Baal vel Bel Phoenicum et Chaldaeorum deum cum Iehova saepe confundi constat.

⁴⁾ Plut. Symp. IV. quaest. 5, 6; Tac. Hist. V, 5.

⁵⁾ Tac. Hist. V, 5: Liberum patrem coli, domitorem Orientis, quidam arbitrati sunt nequaquam congruentibus institutis, quippe Liber festos laetosque ritus posuit, Iudaeorum mos absurdus sordidusque. Cf. Goeser „Berichte des classischen Alterthums über die Religion der Juden“. Tübinger Quartalschrift 1868.

⁶⁾ Ios. Ant. XV, 8, 1 sqq.; XVII, 6, 2; XVIII, 8; Bell. Ind. I, 33, 2; II, 10 etc.

mirum esse videtur, quod etiam viri summa animi gravitate atque constantia acerrimis verbis de Iudaica gente indicare ita non dubitabant, ut eam „gentem religionibus adversam“¹⁾, „sceleratissimam gentem“²⁾, „impiam gentem“³⁾, „gentem contumelia numinum insignem“⁴⁾, vel omnino „τοὺς ἐν Παλαιστίνῃ θυσσεβεῖς“⁵⁾ appellarent.

Nec minus veteres Iudaeos cavillari solebant, qui tam severe tamque religiose sabbatum colerent⁶⁾. Dicunt enim, quod otium placuisset, illos etiam septimum quemque annum inertiae dedisse⁷⁾; quod animalium quorundam carne abstinerent⁸⁾, animalibus ipsis divinos honores habere⁹⁾. Quid de circumcisione dicam? Quantopere haec res veteribus ludibrio fuerit, ex multis librorum locis apparet¹⁰⁾. Quae amplius fabulabantur de cultu asini singulari¹¹⁾, de consuetudine hominum immolandorum¹²⁾, haec omnia, quin ficta sint atque falso excogitata inprimis a vulgo Alexandrinorum Iudaeis infestissimo, nemo est, qui dubitet; unde licet intellegi, quantum odium veteres in illam gentem habuerint.

Accedit quod Iudaei a coetu et societate aliorum abhorrebant, vita victuque ab aliis quam maxime differebant. Vel

¹⁾ Tac. Hist. V, 13.

²⁾ Seneca apud Augustin. C. D. VII, 21.

³⁾ Florus III, 5.

⁴⁾ Plin. Hist. N. XIII, 9.

⁵⁾ Aristides Rhet. apud Phot. Cod. 248.

⁶⁾ Ovid. De arte am. I, 76. 416; id. Rem. am. 219—220; Persius V, 184; Hor. Sat. I, 9, 69; Rutilius Numat. De reditu suo I, 389.

⁷⁾ Agatharchides apud Ios. C. Apion. I, 22; Tac. Hist. V, 4; Iuvenal. XIV, 106. Seneca apud Augustin. C. D. VI, 11; Rutilius Numat. l. I, 391.

⁸⁾ Iuvenal. XIV, 99; Rutilius Numat. l. I, 381.

⁹⁾ Plut. Sympos. V, 5.

¹⁰⁾ Hor. Sat. I, 5, 100; Petronius Arb. fgt. XXXV, 223. Rutilius Numat. l. I, 387. 388. 397.

¹¹⁾ Ios. C. Apion. II, 7; Damocritus apud Suidam sub v. *Λαμόκριτος*; eadem sub v. *Ἰούδας* repetit. Diodor. fgt. l. XXXIV, 1; Plut. Symp. IV, 5; Tac. Hist. V, 4. Cf. Goeser l. I. p. 585 sqq.

¹²⁾ Ios. C. Apion. II, 8; Damocritus apud Suidam sub v. *Λαμόκριτος* vel *Ἰούδας*, Müllerus „Fragm. Hist. Graec.“ IV. p. 377. Cf. Goeser l. I. p. 607 sqq.

cum fines patriae suae egressi essent et ubique dispersi inter alienas nationes versarentur, ad earum mores ita non se accommodabant, ut in collegiis conventibusque se arctissime inter se coniungerent¹⁾, alios respuerent ac vitarent²⁾, omnemque similitudinem morum peregrinorum quin etiam speciem summa pertinacia aspernarentur³⁾. Et quamquam multi a sacris patriis deficiebant alienosque mores asciscebant, tamen longe maxima pars non solum, ne cum Graecis ipsis conveniret, vitabat, sed etiam eas res, quibus illi usi essent, ut fruges, artes aliaque id genus attrectare metuebat⁴⁾; praeterea Iudaeos nimium sibi tribuisse, aliasque nationes nihili putasse neminem fugit. Nonne igitur tantam pertinaciam et insolentiam eo tempore, quo morum Graecorum vi et auctoritate ea, quae ad singulas nationes pertinebant, deleri, omnia misceri videmus, omnibus miram videri necesse erat?⁵⁾

Odii denique praecipua causa nulla alia erat, quam quod

¹⁾ Sardibus quidem Iudaei proprium tribunal habebant. Ios. Ant. XIV, 10, 17; ἄρχων τῶν Ἰουδαίων Antiochiae commemoratur apud Ios. Bell. Iud. VII, 33; Alexandriae ἐθνάρχης a Strab. apud Ios. Ant. XIV, 7, 2: XIX, 5, 2. Cyrenis Iudaeos se ab aliis seiunxisse ex verbis Strabonis apud Ios. Ant. XIV, 7, 2 apparet. In urbe Berenice quoque proprium πολίτευμα habebant, cui novem ἄρχοντες praeerant. Corp. Inscr. Graec. III, n. 5361.

²⁾ Tac. Hist. V, 5: adversus omnes alios hostile odium. Iuven. XIV, 103—104:

Non monstrare vias eadem nisi sacra colenti,
Quaesitum ad fontem solos deducere verpos.

³⁾ Ios. Ant. XV, 8, 1—2; XVII, 6, 2 etc.

⁴⁾ Cf. Schürer l. l. p. 386 sqq.

⁵⁾ Rectissime igitur Raumer („Palaestina.“ Leipz. 1860, p. 396) de hac Iudaeorum conditione indicat: „Jene strenge Verwerfung des Götzen-dienstes durch Moses und die Propheten, die Absonderung des ausgewählten Volkes Gottes von allen Heiden und die Scheu der Juden, sich durch Gemeinschaft mit diesen zu verunreinigen, hatte die nothwendige Folge, dass sie wiederum von allen Heiden verabscheut wurden. Während Rom mit der religiösen Toleranz einer Weltherrscherin alle nationalen Religionen der besiegten Völker aufnahm, konnte sie, man möchte sagen, beim besten Willen, in ihrem Pantheon dem Gott keinen Platz einräumen, welcher keine andern Götter neben sich haben will.“

Iudaei rerum statu saeculo quarto ante Chr. n. commutato certaminibus civitatum finitimarum implicabantur. Aegyptii quidem iam ex antiquissimis temporibus odium inveteratum in Syriae gentes habebant continuis fere expeditionibus et regum Aegyptiorum et Assyriorum incensum atque auctum¹⁾; sed tum novae inimicitiae sunt exortae, cum duces Alexandri Magni imperium Persarum et Macedonum inter se partiti alii alios bello persequi non desisterent. Ac primum quidem Ptolomaei, reges Aegyptiorum, aliquantulum temporis Iudaeorum animos sibi conciliare atque interdum studio reipublicae iis favere adnitebantur. Sed brevi omnia sunt immutata, ubi regnum Syrorum paulatim crescere ac vigere coepit. Qui reges nimia gloriae cupiditate exagitati et insatiabili avaritia impulsivi de terris inter Aegyptum et Syriam sitis cum Ptolomaeis decertabant. Quo factum est, ut Iudaei utrique regno vicini illis modo, modo his se applicare cogerentur, donec Ptolomaeo V. regnante imperium Aegyptiorum pertaesi in fidem ditionemque regum Syrorum se contulerunt. Sed cum Syri, ne illi bello exorto deficerent hostibusque iterum se coniungerent, suspicarentur, Iudaei summa cum fide thesauros

¹⁾ Ad has antiquas inimicitias referenda sunt verba Ios. C. Apion. I, 5 et Phil. in Flaccum p. 969. Cf. Müller „Kritische Untersuchung der taciteischen Berichte über den Ursprung der Juden.“ Theolog. Studien und Kritiken. 1843. Iam circa annum 2000 a. Chr. gentes Syriae, quae vocabantur Hyksos, non solum praedando fines Aegyptios incursaverant, sed etiam plus quam trecentos annos imperium obtinuerant (cf. Duncker l. l. I, 104 sqq.). Quibus expulsis reges Aegyptiorum, imprimis Thutmosis I. (L. l. I, p. 117.), Thutmosis III. (L. l. I, p. 119.), Amenophis II. (L. l. I, p. 125.), Amenophis III. (L. l. I, p. 126.), Sethos I. (L. l. I, p. 141.), Ramses II. (L. l. I, p. 142 sqq.), Ramses III. (L. l. I, p. 158 sqq.), bellum in terram Syrorum transtulerunt et usque ad Euphraten progressi sunt. Cum vero saeculo octavo a. Chr. in Asia Assyrii fines imperii latius promoverent, tum ab his Aegyptii bello lacescebantur. Postquam Sargon (Duncker l. l. II, p. 325 sq.) et Sancherib (L. l. II, p. 363 sq.) cum illis in Syria armis congressi erant, Assarhaddon Aegyptio ipsa potitus est (L. l. II, p. 377 sq.), eiusque filius Assurbanipal Aegyptios, cum defecissent, iterum subegit (L. l. II, p. 380 sqq.). Has expeditiones Persarum reges velut hereditate relictas renovasse neminem fugit.

in templo conditos ab avidis Syris defenderent, odium et invidia utriusque nationis nequaquam imminuebantur, immo magis magisque augebantur, postquam Antiochus IV. Epiphanes Iudaeis superstitionem demere moresque Graecos introducere adnitus est¹⁾. Tum Iudaei atrocissimis regis sceleribus excitati pro aris et focis arma ceperunt. Modo victores, victos modo terra ubique sanguine respersa eos postremo fortitudine ac constantia patriam in libertatem vindicasse nemo est, qui nesciat. Idem fere accidit in bellis, quae, ut servitutem exuerent, contra Romanos concitaverunt. Nam cum reges magni bello victi, nationes ferae populi ingentes armis domiti, urbes opulentae eversae atque prostratae iacerent, per totum fere orbem terrarum nomen Romanum nationibus potentissimis terrori esset, quanto putatis odio Romanos esse inflammatos, quod gens tam parva tamque abiecta iterum ac saepius deficere, vincula rumpere seditionemque concitare auderet? Recte igitur Friedlaenderus censet, scriptores Romanos potissimum acerrimis illis certaminibus paulo ante factis commotos tam maligne de Iudaeis iudicasse²⁾. Quae si ita sunt, Taciti voces iniquas recte intellegere possumus, qui illos „terribilissimam gentem“³⁾, „despectissimam partem servientium“⁴⁾ appellare non dubitat, et illud Marci Aureli: „O Marcomanni, o Quadi, o Sarmatae, tandem alios vobis inertiores inveni“⁵⁾!

Fuerunt quidem multi, qui pio quodam modo affecti, aut alienarum religionum cupidi, alii studio reipublicae, alii commodis suis intenti ad amicitiam Iudaeorum se conferrent. Itaque haud raro et Graecos et Romanos in templo Hierosolymitano ampla dona posuisse⁶⁾, vota solvisse, res divinas

¹⁾ I Macc. 1, 20—24. Ios. Ant. XII, 5, 3; C. Apion. 11, 7. Cf. Schürer l. l. p. 67 sqq.

²⁾ Friedländer: „Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms.“ Tom. III, p. 513.

³⁾ Hist. V, 8.

⁴⁾ L. l. V, 8.

⁵⁾ Ammianus Marcell. XXII, 5.

⁶⁾ Luc. 21, 5; Ios. Ant. XII, 2; XIII, 3, 4; XIV, 16, 4; C. Apion. II, 5; Bell. Iud. IV, 3, 10; V, 13, 6; VII, 3, 3.

fecisse ¹⁾, quin ibi proprium pronaon „*ἀλλοφύλοις*“ destinatum fuisse legimus ²⁾. Sed nihilo secius, quae nobis tradita sunt, omnia fere odium, invidiam, fastidium spirare constat.

Iam vero alia quoque res nobis non silentio praeterire licet, quoad necessaria esse videtur ad quaestionem nostram recte intellegendam; quomodo Iudaei ab illis calumniis conviciisque se defendere eaque frangere et diluere conati sint, paucis verbis demonstrabimus. Exstiterunt enim multi Iudaei scriptores, in his quoque qui vocantur Hellenistae, qui, ut gentem Iudaicam contra invidiam infamiamque ethnicorum laudarent, inter Graecos Iudaeosque pacem conciliarent atque adeo illos in suas partes traherent, summo opere studebant. In quorum numero referendi sunt complures libri, qui dicuntur apocryphi, ut oracula Sibyllina ³⁾, nonnulla carmina nominibus veterum poetarum Graecorum inscripta, ut „*ποίημα νοῦθετικόν*“ sub nomine Phocylidis editum ⁴⁾, epistola Aristee attributa ⁵⁾. Idem plus minus efficere voluerunt ii, qui et res Iudaicas versibus includebant, ut Ezechiel ⁶⁾, Philo poeta ⁷⁾, Theodotus ⁸⁾, et res a patriarchis regibusque gestas oratione soluta narrabant, eorum nomina crebro in errorem fabulae traducentes et, ut ethnicis eas probarent, Graeca et Orientalia confundentes;

¹⁾ Ios. Ant. XIV, 4, 4; XVI, 2, 1; XVIII, 5, 3; Bell. Iud. I, 7, 6. II, 17, 2 sqq.; V, 1, 3.

²⁾ Ios. Ant. XV, 11, 5; Bell. Iud. V, 5, 2; C. Apion. II, 8.

³⁾ Schürer l. l. p. 513 sqq.

⁴⁾ Bernays „Ueber das phokylideische Gedicht.“ Berlin, 1856.

⁵⁾ Ios. Ant. XII, 2, 2 sqq.

⁶⁾ Ezechielem, τὸν τῶν τραγωδιῶν ποιητήν, Iudaeum Hellenistam fuisse et ex eius nomine et ex libri argumento concludi potest; quo tempore vixerit, incertum est; fortasse Alexandriae aetate poetarum tragicorum, qui vocantur *Πλειᾶς*, librum composuit. Eusebius (Praep. evang. IX, 28. 29.) duo fragmenta ex eius tragoedia, quae *Ἐξαγωγή*, Iudaeorum exitus, inscribitur, nobis tradidit.

⁷⁾ Philo, poeta epicus, carmen „*περὶ τὰ ἱεροσόλυμα*“ fecit. Cf. fgt. apud Euseb. l. l. IX, 20. 24. 37.

⁸⁾ Theodotus rem ex tempore patriarcharum depromptam (I Mos. 34.) versibus epicis exornavit. Cf. fgt. apud Euseb. l. c. IX, 22 ex eius libro, qui *Περὶ Ἰουδαίων* inscribitur.

in quibus numeramus ea, quae Alexander Polyhistor nobis sub nominibus Artapani ¹⁾, Cleodemi ²⁾, Demetri ³⁾, Eupolemi ⁴⁾, Aristae ⁵⁾ edita tradidit. Alias quoque disputationes et historicas et philosophicas ad res Iudaicas pertinentes omnino auctoribus Graecis subditas esse patet, veluti ea, quae quidem Hecataei esse ferunt ⁶⁾, sed adulterina atque ab Iudaeo Hellenista composita esse censemus. Etiam Flavium Iosephum idem sibi proposuisse ex ipsius libris facile intellegas. Ut omittamus libellum, qui inscribitur: „Κατὰ Ἀπίωνος“, quemque apertam causae Iudaicae defensionem esse constat, in „Antiquitatibus Iudaicis“ (Ἰουδαϊκὴ Ἀρχαιολογία) quoque id spectasse Iosephum ex ipsius verbis apparet ⁷⁾.

¹⁾ Artapani fgt. de Abrahamo, de Iosepho, de Moyse ex libro „Ἰουδαϊκά“ hausta apud Euseb. l. l. IX, 18. 23. 27. Quae omnia a Iudaeo quodam ficta atque sub Artapani nomine edita esse censet Freudenthal l. l. p. 143 sqq.

²⁾ Cleodemi sive Malchi fragmentum de Abrahamo apud Ios. Ant. I, 15 et Euseb. l. l. IX, 20. Scripsit librum, qui inscribitur „Περὶ Ἰουδαίων“. Samaritam eum fuisse censet Freudenthal l. l. p. 130 sqq.

³⁾ Demetrius in Aegypto sub Ptolomaeo III. Euergete vel sub Ptolomaeo IV. Philopatore Chronica sua composuisse videtur. Cf. Freudenthal l. l. p. 35. Eius fragmenta de Iacobo et de Mose vide apud Euseb. l. l. IX, 21. 29.

⁴⁾ De fragmentis Eupolemi (Euseb. l. l. IX, 17. 26. 30—34.), quem inter a. 140—100 a. Chr. libros suos scripsisse verisimile est, cf. Freudenthal l. l. p. 82 sqq.

⁵⁾ Aristaeas, rerum scriptor, (fgt. apud Euseb. l. l. IX, 25.) alius atque auctor illius epistolae esse videtur, de qua supra diximus. Cf. Freudenthal l. l. p. 136 sqq. Horum omnium auctorum fragmenta collegit Müllerus, fgt. hist. Gr. III. p. 206 sqq.

⁶⁾ Müller. l. l. II. p. 393 sqq.

⁷⁾ Ant. XVI, 6, 8. Quam ob causam summa cum diligentia beneficiorum mentionem facit, quae Iudaei ab exteris nationibus acceperant, et cum res miras narrat, haec verba addere non dubitat: Περὶ μὲν οὖν τούτων, ὡς ἂν ἐκάστοις ἢ φίλον, οὕτω σκοπεῖται (Ant. I, 3, 9 etc.). Cf. Schürer l. l. p. 24: „Dass das ganze Werk nicht für jüdische, sondern für griechisch-römische Leser bestimmt ist und besonders auch den Zweck verfolgt, der gebildeten Welt einige Achtung vor dem viel verleumdeten Volke der Juden abzunöthigen, geht aus der Haltung des Werkes hinlänglich hervor.“

Denique etiam hoc addendum esse nobis videtur, cum Alexandrinorum aetate, tum tempore imperatorum Romanorum apud Iudaeos studium alios a patriis sacris ad sua abducendi quam maxime viguisse¹⁾; unde sequitur illius nationis vim atque auctoritatem, qua illo tempore valebat, nequaquam parvi esse aestimandam vel omnino contemnendam. Haec quoque res veteribus saepe irrisui ludibrioque erat²⁾.

Sed satis iam verborum est demonstrasse, quae fuerit Iudaeorum adversus Graecos Romanosque conditio. Haec praefati ad singula transeamus.

II.

Iudaeos ortos esse ab Indis.

Rerum scriptorum antiquissimus, qui de Iudaeorum origine aliquid refert et illius gentis nomina ipsa „*Ἰουδαῖον*“, „*Ἰουδαίαν*“, „*Ἱερουσαλήμ*“ commemorat, Clearchus Solensis philosophus est iudicandus. Qui cum discipulus magistri Aristotelis peripateticorum modo magnam studiorum varietatem appeteret, in variis disciplinis versabatur magis res undique colligens quam novas inveniens excogitansque. Magnam scriptorum diversi generis copiam reliquit, quorum fragmenta partim plurimarum rerum cognitionem, partim inanem quandam ac portentosam scientiae ostentationem produnt³⁾. In libro autem, qui inscribitur „*Περὶ ὕπνου*“ Clearchus Aristotelem cum Hyperochide de Iudaeo quodam collocutum esse narrat illum cum alia tum haec loquentem inducens:

„*Κἀκεῖνος τοίνυν τὸ μὲν γένος ἦν Ἰουδαῖος ἐκ τῆς Κοίλης Συρίας, οὗτοι δὲ εἰσιν ἀπόγονοι τῶν ἐν Ἰνδοῖς φιλοσόφων. καλοῦνται δέ, ὡς φασίν, οἱ φιλόσοφοι παρὰ μὲν Ἰνδοῖς Καλανοί, παρὰ δὲ Σύροις*

¹⁾ Ios. C. Apion. II, 39; Ant. XVIII, 3, 5; Bell. Iud. II, 20, 2; VII, 3, 3; Dio Cass. XXXVII, 17 etc. Cf. Schürer l. l. p. 644 sqq.

²⁾ Hor. Sat. I, 4, 142—143; Mart. Ep. XII, 57, 13; Tac. Hist. V, 5.

³⁾ Cf. eius fragmenta apud Müllerum „Fragmenta hist. Gr.“ tom. II. p. 302.

*Ἰουδαῖοι, τοῦνομα λαβόντες ἀπὸ τοῦ τόπου. προσαγορεύεται γὰρ ὃν κατοικοῦσι τόπον Ἰουδαία. τὸ δὲ τῆς πόλεως αὐτῶν ὄνομα πάνυ σκολιόν ἐστιν Ἱερουσαλὴμ γὰρ αὐτὴν καλοῦσιν*¹⁾).

Hoc fragmentum propter sententiam miram ab Iudaeo quodam vaniloquo, fortasse ab ipso Iosepho fictum atque Clearcho philosopho subditum esse complures docti suspicantur²⁾. Rationes tamen, quas afferunt, indigent auctoritate, ut facile reiciantur. Nam si rem altius inspicimus, non habemus, cur illa Clearchi verba adulterina esse censeamus. Ac primum quidem non mirum esse videatur, si Clearchum, quem virum magna doctrinae varietate instructum fuisse supra diximus, illo tempore Iudaeorum notitiam quamvis mediocrem atque incertam habuisse putamus³⁾. Deinde verba Clearchi ipsa postulare videntur, ut haec a Graeco auctore dicta, non ab Iudaeo quodam Hellenista illi falso tributa esse statuamus. Hunc enim Iudaeos non a philosophis Indorum, immo Indorum philosophos ab Iudaeis oriundos esse dixisse verisimile est. Tum quod Clearchus scribit: „*Τὸ δὲ τῆς πόλεως αὐτῶν ὄνομα πάνυ σκολιόν ἐστιν, Ἱερουσαλὴμ γὰρ αὐτὴν καλοῦσιν*,“ atque Iudaeos cum Syris confundit, nisi Graecum auctorem ita scripsisse conicere non licet. Denique Theophrastum Eresium quoque, discipulum atque amicum Aristotelis, Iudaeos Syrorum philosophos nominare⁴⁾, Megasthenem⁵⁾ autem, quem Seleuci regis comitem fuisse legatumque ad Sandracottum (= Kandragupta⁶⁾), Indorum regem, saepe missum esse tradunt, et Numenium Apamensem⁷⁾, Pythagoricum philosophum, Iudaeos Brachmanis, Indorum philosophis, pares

¹⁾ Ios. C. Apion. I, 22; Euseb. Praep. evang. IX, 5; Clem. Strom. I. p. 130.

²⁾ Cf. Müller. l. l. p. 324; Schmitthenner, l. l. p. 18.

³⁾ Vixit enim Clearchus sub finem saeculi tertii a. Chr., quo quidem tempore Iudaei cum Graecis iam convenerant. Cf. supra p. 8 et sqq.

⁴⁾ Euseb. l. l. IX, 2, qui hoc ex Porphyry. De abst. II, 26 affert.

⁵⁾ Idem l. l. IX, 6 ex Clem. Strom. I, 305.

⁶⁾ De hoc rege cf. Duncker l. l. tom. III. p. 366 sqq.

⁷⁾ Euseb. l. l. IX, 7.

iudicare Eusebius auctor est. Quas rationes si consideramus, non est, cur illorum Clearchi verborum integritatem in dubitationem vocemus.

Iam vero quaeritur, qua re permotus Clearchus Iudaeos ab Indorum philosophis originem ducere dixerit. Hanc causam ex cognatione quadam Iudaeorum et illorum gymnosophistarum, quae ad illius oculos animumque acciderat, repetendam esse putamus. Philosophos enim Indorum, qui ab Clearcho „καλανοί“¹⁾ vocantur, singulari erga deos pietate et magna mortis contemptione aliis praestitisse veteres narrant²⁾. Praeterea rerum rationes inquisivisse³⁾, certis cibis abstinuisse⁴⁾, ab aliis se seiunxisse⁵⁾, insuper sacra administrasse⁶⁾ legimus. Similes autem virtutes ac religiones nonnulli philosophorum Graecorum apud Iudaeos reperiiebant atque admirabantur. Itaque fieri non poterat, quin illi, qui haud claram Iudaicae gentis notitiam habebant, Iudaeos philosophos iudicarent eosque cum Brachmanis conferrent. Haec autem potissimum ad eos tantum Iudaeos, quos Graeci Alexandri Magni aetate cognoverant, pertinere nemo est, qui non intellegat.

Inde apparet, Clearchum illis verbis non ut historicum sed ut philosophum de gente Iudaica iudicasse, quae tum ipsum in lucem prodire atque religionibus moribusque Graecorum animos ad se convertere coepit. Quae si ita sunt, profecto nobis non mirum esse videtur, si ille specie cognationis

¹⁾ Familiam Indorum sapientium, qui ab aliis *Βραχμάνες* vel *σοφισταί*, ab aliis gymnosophistae vel philosophi nominantur, „Καλανός“ vocari non legimus nisi apud Clearchum. „Καλανός“ vero erat nomen Indi cuiusdam, qui ex illis philosophis erat. Hic enim Alexandri Magni exercitum secutus, cum adversa corporis valetudine vexaretur, vivus sua voluntate combustus est. Arrian. VII, 2; Plut. Alex. 69; Strabo XV, 1, 68; Cic. De divin. I, 23. Tusc. II, 22 etc. Nomen „Καλανόν“ illi inditum esse tradunt, quod omnes voce kalyâna i. e. καλέ salutasset. Plut. Alex. 65.

²⁾ Cf. eosdem auctores et Duncker l. l. p. 305. 321 sqq. 388 sqq.

³⁾ Dunker l. l. p. 322 sq. 325.

⁴⁾ Idem l. l. p. 128 sqq.

⁵⁾ Idem l. l. p. 321. 388 sq.

⁶⁾ Idem l. l. p. 320. 324 etc.

Iudaeorum et Brachmanarum in errorem inductus parum diligenter Iudaeos ab Indorum philosophis, qui et ipsi paulo ante Alexandri Magni expeditione quasi e tenebris protracti erant et ob furorem quendam pium ab Graecis summa admiratione afficiebantur, ortos esse scripsit.

III.

Iudaeos a Magis genus ducere.

Apud Diogenem Laërtium in libro, qui inscribitur „Περὶ βίων δογμάτων καὶ ἀποφθεγμάτων τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ εὐδοκίμησάντων“ haec verba legimus:

„Κλέαρχος ὁ Σολεὺς . . . τοὺς Γυμνοσοφίστας ἀπογόνους εἶναι τῶν Μάγων φησὶν· ἔνιοι δὲ καὶ τοὺς Ἰουδαίους ἐκ τούτων εἶναι“¹⁾.

Iudaeos in numero Magorum esse habendos refert etiam Plinius maior, qui, ubi de arte magica fusius disputat, haec dicit: „Est et alia magices factio a Mose et Ianne et Lotape ac Iudaeis pendens, sed multis milibus annorum post Zoroastren“²⁾. Unde apparet, Moysem ipsum, quem veteres Aegyptium cum parte populi expulsum atque gentis Iudaicae conditorem fuisse tradunt, ab nonnullis auctoribus propter portenta et miracula in Aegypto edita inter Magos esse numeratum. Quae cum ita sint, facile fieri potuisse intellegimus, ut nonnulli illo de Moyse iudicio decepti Iudaeos ipsos a Magis genus ducere scriberent.

Sed videamus, nonne etiam alia ratione illam de Iudaeorum origine sententiam interpretari possimus. Si ea, quae Diogenes Laërtius prodit, cum illis Clearchi verbis, de quibus supra disputatum est, conferimus, illam sententiam ab hac haud multum discrepare, ob eamque rem rationes ex eodem fonte repetendas esse invenimus. Ac primum quidem Diogenes

¹⁾ Diog. Laërt. Vita phil. prooem. §. 9.

²⁾ Plin. Nat. hist. XXX, 2.

Laërtius narrat Clearchum etiam gymnosophistas ab Magis ortos esse tradere; deinde Numenium quoque philosophum, quem Iudaeos Indorum sapientibus pares iudicare supra diximus, eodem loco Iudaeos cum Magis componere videmus¹⁾. Denique eadem fere, quae veteres auctores de Indorum philosophis commemorant, etiam de Magis, sapientibus Medorum et Persarum, referunt. Herodotus quidem nos docet, Magos propriam Medorum gentem esse²⁾, eos res divinas facere³⁾, futura praenuntiare⁴⁾, prorsus omnia, quae ad cultum pertineant, tractare⁵⁾. Strabo autem dicit, Magos honestam sanctamque vitam appetere⁶⁾. Praeterea illos ut Indorum philosophos varias lustrationes et expiationes subiisse et certis cibis abstinuisse legimus⁷⁾. Avesta quoque, lex sacra, eos tenui victu contentos esse iubet⁸⁾. Propterea Magi a veteribus sapientes et philosophi appellabantur⁹⁾. Itaque facile est intellectu, eos, qui Iudaeos, Magos, Indorum philosophos inter se comparare non dubitarent, similitudine quadam caeremoniarum morumque inductos Iudaeos a Magis genus ducere iudicasse.

Ceterum utcunque res est, illos auctores, qui ita de Iudaeorum origine iudicarent, res Iudaicas, etiamsi ex sacris Iudaeorum libris vel ex aliis scriptis eorum aliquid hauriebant, ut ex Plinii verbis apparet, nisi quasi in transitu non cognovisse leviterque attigisse certum est.

¹⁾ Euseb. l. l. IX, 7.

²⁾ Herod. I, 101.

³⁾ Herod. VII, 43. 113. 191. Cf. Duncker l. l. IV. p. 145 sqq. Maspero l. l. p. 466.

⁴⁾ Herod. I, 107. 108. 120. 128; VII, 19. 37. Cf. Duncker l. l. p. 146; Maspero l. l.

⁵⁾ Xenoph. Cyri inst. VII, 5, 57; VIII, 3, 24. Cf. Duncker l. l. p. 145 sqq. Maspero l. l.

⁶⁾ Strabo XV, 3.

⁷⁾ Duncker l. l. p. 140 sq. 147.

⁸⁾ Duncker l. l. p. 147.

⁹⁾ Cic. De div. I, 23, 46. Aristot. Metaph. XIII, 4.

IV.

Iudaeos Thebis emigrasse.

Stephanus Byzantius in onomastico suo, qui inscribitur „*Εθνικά*“, quaedam de Iudaeorum nominis explanatione affert et cum alia tum haec dicit:

„*Ιουδαία . . . ὡς δὲ Κλαύδιος Ἰόλαος, ἀπὸ Ἰουδαίου Σπάρτωνος ἐκ Θήβης μετὰ Διονύσου ἐστρατευκότος*“¹⁾.

Iudaeam igitur secundum Claudium Iolaum nomen habere a Iudaeo quodam, Spartonis filio, qui Thebis cum Baccho in expeditionem profectus sit, Stephanus auctor est. Sed priusquam hanc singularem relationem accuratius perscrutari aggredimur, quis fuerit ille Claudius Iolaus vel quando vixerit, quaeramus.

Paucissima eaque incerta atque dubia sunt, quae de hoc auctore reperimus. Sunt quidem, qui propter nomen Claudium illum libertum Graecum fuisse suspicentur²⁾. Nomen ipsum „*Ἰόλαος*“ in ceteris fragmentis vario modo velut „*Ιουλλος*“, „*Ιουλος*“, „*Ιούλιος*“ scriptum videmus³⁾. Cum vero nomen „*Ἰόλαος*“ iterum ac saepius in scriptis Graecorum inveniamus, reliquas formas ob praenomen Claudium immutatas esse probabile est. Illum autem post Augusti aetatem vixisse ex eo colligi potest, quod is in fragmento quodam Caesareae, urbis in litore Palaestinensi sitae, mentionem facit⁴⁾. Quam urbem ab rege Herode Magno eodem loco, in quo antea castellum „*Στράτωνος πύργος*“ fuerat, sumptibus magnis conditam, in honorem Augusti „*Καισάρειαν*“ nominatam, „*εἰς ὀγδοὸν καὶ εἰκοστόν ἔτος τῆς ἀρχῆς*“, id est circa annum decimum a. Chr. n. dedicatam esse veteres testantur⁵⁾. Quae alia de Claudio Iolao

¹⁾ Müller. Fragm. hist. Gr. IV. p. 364. Vocabulum „*Σπάρτωνος*“ corruptum esse videtur, cum apud ceteros auctores „*Σπάρτος οὗ*“ tantum inveniamus. „*Σπάρτων ἐνός*“ scribendum esse Meineke censet.

²⁾ Müller. l. l. p. 362.

³⁾ Müller. l. l.

⁴⁾ Müller. l. l. p. 363, fgt. 2.

⁵⁾ Ios. Ant. XVI, 5, 1; XV, 9, 6; Bell. Iud. I, 21, 5—8; Plin. Nat. hist. V, 13.

legimus, non nisi coniectura contineri neminem fugit ¹⁾. Postquam haec de auctore praemisimus, de relatione ipsa, quomodo enucleari atque illustrari possit, scrutemur.

Iudaeos igitur Sparti cuiusdam, nomine „Ιουδαίων“, vel ut rectius scribendum est, „Οὐδαίων“, progeniem esse Iolaus narrat. Nomen autem „Οὐδαίων“ nisi in illis de Cadmo fabulis non reperimus. Qui cum dentes draconis occisi iussu Minervae in Boeotia sevisset, „Σπαρτούς“, viros armatos, exortos esse atque furore exagitatos inter se interfecisse veteres fabulabantur; uni autem ex illis quinque viris, qui superfuissent, auctori gentium nobilium Thebanarum, nomen „Οὐδαίων“ fuisse tradunt ²⁾.

Iam vero num Iudaei et Thebanorum maiores aliqua cognatione inter se fuerint coniuncti, aut commercium quoddam vel usus inter illos intercesserit, difficile esse videatur de hac re quaestionem movere, cum de eiusmodi societate et coniunctione neque in monumentis annalium neque in historia fabulari quidquam traditum esse inveniamus. Dubium quidem non est, quin veteres Thebarum incolae, quorum principes a Cadmo genus duxisse constat ³⁾, cum et ipsi olim aliunde, fortasse ex Thessalia, immigravissent Thebisque rempublicam constituerent, postea a Thessalis et Thracibus irrumpentibus subacti sint, atque plurimae gentes Cadmeorum Thebis secesserint aliasque sedes petiverint ⁴⁾; quam rem illis de infelici domo regia Thebanorum fabulis subesse probabile est. Veteres quidem Cadmum ex Phoenice in Boeotiam transgressum esse ibique fundamenta Thebarum iecisse testantur ⁵⁾. Atque re vera vocem Cadmum ipsam a fonte orientali derivandam esse docti recentioris aetatis confirmare non dubitant. Vocem enim Hebraicam קדם (kedem) „oriens“ vel „ad orientem spectans“

¹⁾ Müller. l. l. p. 363.

²⁾ Preller „Griechische Mythologie“. II. p. 25 sq.

³⁾ Pausan. VIII, 11, 5.

⁴⁾ Thucyd. I, 12; Diodor. IV, 67; Pausan. X, 8, 3.

⁵⁾ Herod. I, 2; II, 49. Eurip. Phoen. 639; Bacch. 171. Cf. Duncker l. l. II. p. 44 sqq.

significare atque nomen proprium gentis Palaestinensis fuisse constat¹⁾. Hebraei autem Arabes ad orientem versus habitantes „Beni-Kedem“, id est filios orientis appellabant²⁾. Unde concludi potest, iam antiquissimis temporibus Graecis commercium quoddam cum Phoenicibus fuisse, quod non solum ad litora insulasque, sed etiam interdum ad regionem mediterraneam pertineret.

Sed etiamsi nonnulla vestigia colonorum Phoenicum Thebis reperiuntur, tamen gentem Asiaticam in Boeotia sedes collocasse, aut Graecos Thebis in Syriam vel in Palaestinam emigrasse veteres nihil memoriae prodiderunt. Nam gentem illam Cadmeorum Thebis expulsam, quae certe cum Phoenicibus nulla iam cognatione coniuncta erat, non mare transiisse, sed in Thessaliam vel Atticam profectam esse verisimile est. Ut paucis dicamus, neque apud rerum scriptores neque apud fabularum auctores quidquam reperitur, quod ad relationem Iolai illustrandam lucem afferre possit. Quam quaestionem ut expediamus, alia ratio nobis quaerenda est. Nos quidem non errare putamus, si Iolaum rem ad verba deflexisse illamque relationem prava verborum interpretatione exortam esse censeamus; cuius rei causa illum ex nomine „Οὐδαῖος“ finxisse „Ιουδαῖος“ nemo infitietur. Ad opinionem nostram confirmandam hoc quoque utimur argumento, quod Iolaum, ut ex compluribus fragmentorum locis apparet, eiusmodi verborum interpretationi praeter cetera studuisse legimus³⁾. Quae cum ita sint, non iam opus est disputatione.

Sed videamus, quomodo Iolaus Udaeum Thebis emigrantem cum Iudaeis coniunxerit. Illum cum Baccho in expeditionem profectum esse refert. Minime mirum id quidem. Hoc enim deo

¹⁾ I Mos. 15, 19.

²⁾ Movers „Phoenizier“ I. p. 517. Duncker I. I. p. 47. Nonnulli auctores posterioris aetatis Cadmum Thebis, ex clarissima urbe Aegypti, venisse tradunt, sine dubio eodem nomine illarum urbium permoti. Cf. Hecataeus apud Diodor. fgt. I. 40.

³⁾ Cf. interpretationem nominum: „Αχη“, „Δῶρος“, „Δάμνη“, „Γάδεια“. Fgt. 1, 2, 4 apud Müller. I. I. IV. p. 363, 364.

quin nemo aptior sit, qui illam confictionem sustineat, dubium non est. Primum enim Thebas Bacchi sedem fuisse, ibique Semele matre, una ex clarissimis filiabus Cadmi, natum atque educatum esse plerique veterum auctorum asseverant¹⁾. Atque ut ubique et in continente et in insulis vitem a Baccho dono se accepisse veteres praedicabant, ita omnibus locis deus ipse sacris celebrabatur. Iam vero cum Graeci in Asia minore cultum Magnae Matris, qui a Bacchi haud multum abhorrebat, cognovissent atque cum illo confudissent, etiam illae de Baccho fabulae in omnes fere Asiae terras diffundebantur. Itaque ex illo tempore Bacchum Thebis quidem natum, sed insidiis Iunonis coactum vel ab ea in insaniam redactum ex illa terra decessisse, postea Phrygiam, Persidem, Bactrianam, Mediam, Arabiam, Syriam, etiam Palaestinam peragrasse, inde per Asiam minorem in Graeciam rediisse tradunt²⁾.

Deinde iam supra commemoravimus, auctores Graecos et Romanos Iudaeos deum Bacchum colere arbitratos esse. Tacitus quidem, cum Iudaeis cultum Liberi hilarem ac laetum concedere nolit, nihilo secius verbis suis hanc opinionem communem ac pervagatam esse indicat³⁾; Plutarchus vero id claris verbis affirmare eiusque rei argumenta afferre non dubitat⁴⁾.

¹⁾ Eurip. Phoen. 649 sqq. Pind. Isthm. VI, 3 sqq. Cf. Preller l. l. II. p. 521 sq. Thebis enim primas vites satas esse tradunt. Pausan. IX, 25, 1.

²⁾ Cf. Preller l. l. I. p. 521, 546, 551 etc. Pausan. VI, 24: *Θνητὸν δὲ εἶναι τὸ γένος τῶν Σιληνῶν εἰκάσαι τις ἂν μάλιστα ἐπὶ τοῖς τάφοις αὐτῶν· ἐν γὰρ τῇ Ἑβραίων χώρᾳ Σιληνοῦ μνημα καὶ ἄλλον Σιληνοῦ Περγαμηνοῖς ἐστίν.* Silenos autem comites Bacchi fuisse neminem fugit.

³⁾ Tac. Hist. V, 5.

⁴⁾ Plut. Symp. IV. qu. 5 et 6. Cf. Goeser l. l. p. 581, 619 sqq. Ceterum Bacchi cultum ipsum, ut ex sacris celebrandis apparet, ex Asia ortum atque cum religionibus Babyloniorum et Phoenicum permixtum esse inter omnes constat. Itaque memoria dignum esse videtur, quod inprimis in urbe Thebis, ubi nonnulla vestigia colonum Phoenicum inveniri supra diximus, Bacchum summis honoribus inde ab omni tempore cultum, urbemque ipsam patriam eius iudicatam esse legimus.

Nostra igitur expositione quid de hac relatione indicemus, paucis verbis ita absolvere possumus: Claudium Iolaum sententiam suam non ex rerum gestarum memoria hausisse, sed ex mala verborum interpretatione derivasse atque cum illa pervulgata opinione, Bacchum Iudaeorum deum esse, coniunxisse certum est.

V.

Auctores gentis Iudaicae esse Solymos.

Tacitus, princeps rerum scriptorum, quem uberius ac diligentius quam reliquos veteres auctores de Iudaeorum origine disputare nemo ignorat, inter alias hanc sententiam literis mandavit:

„Clara alii Iudaeorum initia, Solymos, carminibus Homeri celebratam gentem, conditae urbi nomen e suo fecisse“¹⁾.

Auctores igitur quidam, ex quibus Tacitus haec hausisse testatur, Iudaeos a clarissima gente Solymorum oriundos esse censent. Itaque ante omnia quaerendum est, qui fuerint illi Solymi. Primus omnium Homerus eorum mentionem facit, ubi res, quae a Bellerophonte a Proeto rege in Lyciam misso gestae sunt, his verbis narrat: „*δευτερον αὖ Σολύμοισι μαχήσατο κυδαλιμοῖσιν*“²⁾; iterum, ubi Isandrum a Marte interfectum esse refert: „*μαρνάμενον Σολύμοισι κατέκτανε κυδαλίμοισι*“³⁾; alio loco Neptunus e terra Aethiopum reversus Ulixem ex montibus Solymorum conspicit: „*τηλόθεν ἐκ Σολύμων ὀρέων ἴδεν*“⁴⁾. Unde apparet, Homerum in Lycia et gentem antiquam et montes Solymorum cognovisse. Herodotus autem

¹⁾ Tac. Hist. V, 2.

²⁾ Il. VI, 184.

³⁾ Il. VI, 204.

⁴⁾ Od. V, 283.

Lycios in Milyada migrasse, Milyada nomen antiquum Lyciae fuisse, eiusque incolas tum *Σολύμους* nominatos esse auctor est ¹⁾. Strabo quoque multis locis et gentem et montes Solymorum commemorat, illos modo *Λυκίους* vel *Τερμίλας*, modo *Καβαλεῖς* vel *Τερμησσεῖς* appellans ²⁾; Lyciis antiquo tempore nomen *Μιλίας*, antea *Σολύμους* fuisse, eos extremos Lyciae et Pamphyliae fines inter mare et montes Solymos incoluisse testatur. Ex his testimoniis quae consequimur, haec sunt: Perantiquo tempore in ora meridionali Asiae montes Tauri declives gentem bellicosam, nomine Solymos obtinuisse; quibus aliorum adventu postea depulsis nomen ipsum non penitus interiisse, sed in montibus Solymis usque vixisse atque in hominum memoria versatum esse pro certo putandum est ³⁾.

Iam vero existit quaestio, utrum illa Taciti de Iudaicae gentis origine narratio cognatione quadam Iudaeorum et Solymorum aut aliquo commercio contineatur, an interpretatio ex nominum Graecorum similitudine sit repetenda. Caput enim Iudaeorum et in libris sacris „*Ιεροσόλυμα*“ et apud scriptores Graecos Romanosque „*Ιερὰ Σόλυμα*“ vel „*Ιεροσόλυμα*“ vel „*Σόλυμα*“, incolas autem huius urbis et omnino Iudaeos „*Ιεροσολύμους*“ vel „*Hierosolymitanos*“ vel prorsus „*Solymos*“ nominari nemo est, qui nesciat.

Alteram igitur huius quaestionis partem non esse confirmandam, immo reiciendam omnes consentire putamus, cum de eiusmodi cognatione aut commercio non plus invenire possimus, quam de cognatione aut usu Iudaeorum et Indorum vel Magorum vel Thebanorum, de quibus supra tractavimus. Sed altera quoque sententia, nomen ipsum capitis Iudaici apud Graecos usu receptum causam illius Taciti narrationis fuisse, a plerisque huius rei investigatoribus impugnatur. Sunt enim, qui contendunt, Iudaeos a nonnullis Graecis auctoribus cum Phoenicibus esse confusos, argumentum ex verbis quibusdam

¹⁾ Herod. I, 173.

²⁾ Strabo XII, 8, 5; XIII, 4, 16; XIV, 3, 9. 10.

³⁾ Duncker l. l. I. p. 458.

Iosephi sumentes ¹⁾. Is enim ex Choerilo Samio, quem Graecorum contra Persas pugnas carmine epico celebrasse constat, hos versus affert:

„Τῷ δ' ὅπιθεν διέβαινε γένος θαυμαστὸν ἰδέσθαι,
γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφιέντες ·
ᾧ κενν δ' ἐν Σολύμοις ὄρεσι πλατέῃ ἐπὶ λίμνῃ,
αὐχμαλέοι κορυφάς, τροχοκούριδες · αὐτὰρ ὑπερθεῖν
ἵππων δαρτὰ πρόσωπ' ἐφόρενν ἐσκληρότα καπνῷ“ ²⁾.

Quid sibi volunt verba ista? Quam gentem Choerilum hoc loco dicere putandum est? Iosephus quidem, quin haec verba ad Iudaeos sint referenda, non dubitat; in Iudaeorum enim terra esse montes Solymos lacumque Asphaltiten, omnium longe maximum latissimumque Syriae ³⁾. Recentioris quoque aetatis virorum doctorum nonnulli in his versibus Iudaeorum mentionem fieri ⁴⁾, alii vero Phoenices esse intellegendos arbitrati sunt ⁵⁾, alii hanc quaestionem in medio reliquerunt ⁶⁾.

Choerilum hoc loco Iudaeorum mentionem facere nos quidem potius negare quam affirmare audeamus. Nam primum rationem temporis huic opinioni repugnare putamus, cum Graeci Choerili aetate Iudaeos ipsos non cognitos habuerint ⁷⁾. Deinde illo tempore, quo auctoritatem Graecorum nondum usque ad interiorem Palaestinae partem pertinuisse certum est, caput populi Iudaici *Σόλυμα* vel *Ἱεροσόλυμα* esse nominatum vix quisquam defendat. Montibus autem Palaestinae nomen

¹⁾ Movers „Phoenizier“ I. p. 15 sqq. Müller „Bericht des Tacitus über die Juden“ p. 949 sqq. Leonhard „Ueber den Bericht des Tacitus über die Juden“. Ellwangen 1856.

²⁾ Ios. C. Apion. I, 22; Euseb. l. l. IX, 9.

³⁾ Ios. l. l.

⁴⁾ Cf. Freudenthal l. l. p. 177.

⁵⁾ Cf. viros illos doctos, qui in Taciti relatione Iudaeos cum Phoenicibus confusos esse defendunt.

⁶⁾ Cf. Naekius „Choerili Samii quae supersunt coll. et illustr.“ Lips. 1817, p. 130 sqq.

⁷⁾ Cf. Naek. l. l. „Etsi, inquit, Iosepho Eusebioque eatenus adstipulamur, ut de Iudaeis loqui Choerilum ponamus, multum tamen abest, ut accuratam Iudaeorum notitiam habuisse videatur Choerilus“.

Σόλνμα fuisse non legimus nisi apud Iosephum ¹⁾. Tum Iudaeos Xerxis, regis Persarum, expeditioni contra Graecos interfuisse nemo auctorum veterum memoriae prodidit; neque republica nondum constituta illos auxilia misisse probabile est; nam per plus quam centum annos ii, qui exilio redierant, id agebant, ut urbem templumque restituerent atque rempublicam institutis legibusque temperarent ²⁾. Gravissimum denique argumentum affert Moversius ex vocabulo „*τροχοκούριδες*“, id est „circumtonsi“ ³⁾. Erat enim Iudaeis interdictum, ne quis comam in rotundum attonderet ⁴⁾. Nam gentes quaedam Arabes in honorem dei *Όροτάλ*, quem Herodotus eundem atque Bacchum esse censet, hoc modo comam tondere solebant ⁵⁾. Quamobrem ii, qui hanc consuetudinem sequebantur, ab Iudaeis „*τὸ περιεκαρμένον κατὰ πρόσωπον*“ appellabantur ⁶⁾. Sed non solum apud Arabes sed omnino plus minusve apud gentes orientales hic mos viguisse et cum Minotauri cultu coniunctus fuisse videtur; unde complures colligunt etiam Phoenices hanc consuetudinem retinuisse ⁷⁾. Ne multa: ut Choerilum in versibus suis Iudaeorum non mentionem facere statuamus, multis causis adigimur.

An Phoenices illo loco intellegendi sunt? Difficillimum est de hac re certum iudicium ferre. Gentem quidem illam miram Choerilus linguam Phoeniciam loquentem inducit; Herodotus Phoenicum, cum auxilia exercitus Persarum enumerat, nominatim mentionem facit ⁸⁾. Idem vero Phoenices et Grae-

¹⁾ Ios. l. l.

²⁾ Cf. Haneberg l. l. p. 405 sqq.

³⁾ Movers l. l. I. p. 361; Müller l. l. p. 951.

⁴⁾ Levit. 19, 27: „*Ὁὐ ποιήσετε σισοὴν ἐκ τῆς κόμης τῆς κεφαλῆς ὑμῶν*“.

⁵⁾ Herod. III, 8. Cf. Keil „Biblischer Commentar über das alte Testament“, tom. II. ad locum Levit. 19, 27.

⁶⁾ Ierem. 9, 26; 25, 23; 49, 32. cf. Plin. Nat. hist. 6, 28.

⁷⁾ Comam tondere tonsamque diis offerre potissimum sacerdotum erat. Movers l. l. I. p. 365. Ne Graecos quidem ab hoc more abhorruisse neminem fugit. Hom. II. XXIII, 146; Hes. Theog. 346; Kallim. Ap. 12; Theophr. Char. 21; Mart. Epigr. I, 31. Cf. Preller l. l. I. p. 209, 426.

⁸⁾ Herod. VII, 89. 96.

corum fere modo armatos neque copiis terrestribus esse attributos, sed classem ornasse narrat, ut Syros Palaestinenses ¹⁾; praeterea illos non in montibus, sed in campo atque in ora maritima habitasse inter omnes constat.

Quae si consideramus, Choerilum nullam aliam gentem significare voluisse, quam veteris Lyciae sive Milyadis incolas, fortasse aliquam nationem Lyciis vicinam, quae in locis asperis et montuosis inter fines Lyciae et Ciliciae habitabat, nobis quidem persuasum est. In Lycia enim montes Solymos etiamque lacum esse veteres tradunt ²⁾. De lingua autem Phoenicia haud scio an Choerilus Phoenicum colonias iam antiquissimis temporibus in ora maritima a Cilicia usque ad Lyciam collocatas respexerit ³⁾. Hanc terram quondam Phoenicen esse appellatam ibique Saturni cultum fuisse Plutarchus asseverat ⁴⁾. Sed remotis his omnibus Solymos ipsos non minus generis Semitici esse verisimillimum est ⁵⁾, quam Cilices, eorum finitimos, qui in monumentis Assyriorum Chilakai, in nummis aetatis Persarum Chelech nominantur ⁶⁾. Ita Solymi, pars gentis Aramaeae per totam Orontis et Euphratis regionem diffusae, quasi propugnaculum populis Ariis oppositum erant, inprimis adversus incolas Lyciae, qui posteriore aetate in illam

¹⁾ Idem VII, 89: *Φοίνικες . . . ὧδε ἐσκευασμένοι · περὶ μὲν τῇσι κεφαλῇσι κυνέας εἶχον ἀγχοτάτω πεποιημένους τρόπον τὸν Ἑλληνικόν, ἐνδεδυκότες δὲ θώρηκας λινέους, ἀσπίδας δὲ ἔντες οὐκ ἐχούσας εἶχον καὶ ἀκόντια*. Ceterum si vestitum atque armaturam, quibus illam gentem specie mirandam exstructam esse Choerilus testatur, cum Aethiopum orientalium, quorum singularem habitum idem Herodotus describit, comparamus, mirabilem similitudinem inter eos apparere omnes concedere putamus. Cf. Herod. VII, 70: *Οὗτοι δὲ οἱ ἐκ τῆς Ἀσίας Αἰθίοπες τὰ μὲν πλέω κατὰπερ Ἰνδοὶ ἐσεσάχατο, προμετωπίδια δὲ ἱππων εἶχον ἐπὶ τῇσι κεφαλῇσι σὺν τε τοῖσι ὥσιν ἐκδεδαρμένα καὶ τῇ λοφιῇ · καὶ ἀντὶ μὲν λόφου ἢ λοφιῇ κατέχρα, τὰ δὲ ὧτα τῶν ἱππων ὀρθὰ πεπηγότα εἶχον*.

²⁾ Strabo XIV, 3, 9.

³⁾ Herod. I, 173; VII, 91. Cf. Maspero l. l. p. 242.

⁴⁾ Plut. De def. orat. 21. Cf. Movers. l. l. I. 15.

⁵⁾ Duncker l. l. I. p. 458. Maspero l. l. p. 185. 238.

⁶⁾ Duncker l. l. I. p. 458 sqq.

regionem immigraverant, quosque, quantum ex linguae Lyciae reliquiis sane modicis concludi licet, gentem Ariam fuisse viri docti demonstraverunt¹⁾. Quae si ita sunt, Choerili verba „γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφιέντες“ non angustiore, ut ita dicam, sensu sed latiore interpretemur oportet.

Hac igitur disputatione eo ducimur, ut Choerili verba ad illustrandam Taciti narrationem parum conferre intellegamus; restat, ut explicationem in ipsis Taciti verbis indagare conemur.

Itaque ut paucis dicamus, eos, qui Solymos Iudaeorum auctores esse tradiderunt, nulla alia ratione nisi vocabulo Σολύμων ad hanc sententiam inductos esse nobis quidem certum esse videtur. Nam et gentem Solymorum Graecis haud ignotam fuisse et Iudaeos a Graecis et postea a Romanis saepe eodem nomine appellatos esse iam supra memoravimus. Iosephum ipsum potissimum hoc argumento niti²⁾, ob eamque rem Iudaeos atque illos Choerili Solymos eosdem esse iudicare legimus.

Caput Iudaeorum apud Hebraeos יְרוּשָׁלַיִם (Ieruschalaim), in monumentis Assyriorum Ur-sa-li-im-mu vocatur³⁾. In lingua Graeca vocabula Ἱερουσαλήμ, Σόλυμα, Ἱεροσόλυμα inveniri iam novimus. Iudaei autem ipsi, primum vocem Hebraicam Ἱερουσαλήμ retinuerunt, Graecam vero Ἱεροσόλυμα posteriore demum tempore paulatim receperunt. In libro enim Iosue, in quo primum nomen huius urbis commemoratur⁴⁾, quemque prius quam reliquos libros in linguam Graecam translatum esse constat, et in parte longe maxima reliquorum librorum nulla alia quam vox Hebraica reperitur. Primum idque unicum vocabulum Graecum sub finem libri Sirach⁵⁾, utramque formam in libro Tobiae atque in libro primo Maccabaeorum, nullam aliam nisi illam Graece immutatam in libro secundo Macca-

¹⁾ Duncker l. l. I. p. 488 sqq.

²⁾ Ios. C. Apion. I, 22.

³⁾ Cf. Schrader „Keilinschriften und das alte Testament“. Giessen 1872. p. 69.

⁴⁾ Iosue 10, 1; 12, 10; 15, 8 etc.

⁵⁾ Sir. 50, 27.

baeorum legimus. Reliqui autem Graeci auctores, si Clearchum solum excipias, omnes ad unum Σόλυμα vel Ἱεροσόλυμα usurpaverunt. Neque quisquam infitietur, facile fieri potuisse, ut forma σαλῆμ in σολύμα immutaretur, praesertim quum illa Graecis „πάνν σκολιόν“ hoc est admodum tortuosa esse barbareque sonare videretur ¹⁾, haec vero iam omnibus nota esset atque ab illa haud multum abhorreret. Quo factum est, ut postea auctores quidam nomine decepti Iudaeos cum Solymis carminibus Homeri celebratis conferrent atque illos ab his oriundos esse confirmarent.

Iam vero ex quo fonte Tacitus relationem suam sumpserit, non indicari posse libere confiteamur oportet. Haec autem sententia posteriore Alexandrinorum aetate ab iis profecta esse videtur, qui parum diligenter res Iudaicas persequerentur neque libros sacros inspicerent. Nam rerum scriptores superioris aetatis velut Manetho, Lysimachus alique, qui de Iudaeorum origine aliquid prodiderunt, nomina quidem Graeca Σόλυμα et Ἱεροσόλυμα in scriptis suis adhibent, Iudaeos vero ex Aegypto emigrasse narrant.

VI.

Iudaeis originem Damascenam esse.

Aliam de Iudaeorum origine narrationem exhibet Iustinus, quem Trogi Pompei „Historias Philippicas“ excerptisse constat. Ille igitur historiam regnorum Graecorum, quae Alexandri Magni imperio concusso exstiterant, persequens hunc de Iudaeis excursum memoriae prodidit:

„Namque Iudaeis origo Damascena, Syriae nobilissima civitas, unde et Assyriis regibus genus ex regina Semirami fuit. Nomen urbi a Damasco rege inditum, in cuius honorem Syrii sepulchrum Athares, uxoris eius, pro templo coluere, deamque exinde

¹⁾ Ios. C. Apion. I, 22.

sanctissimae religionis habent. Post Damascum Azelus, mox Adores et Abrahames et Israhel reges fuere. Sed Israhelem felix decem filiorum proventus maioribus suis clariorem fecit. Itaque populum in decem regna divisum filiis tradidit, omnesque ex nomine Iudae, qui post divisionem decesserat, Iudaeos appellavit colique memoriam eius ab omnibus iussit, cuius portio omnibus accesserat. Minimus aetate inter fratres Ioseph fuit, cuius excellens ingenium fratres veriti clam interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt. A quibus deportatus in Aegyptum, cum magicas ibi artes sollerti ingenio percepisset, brevi ipsi regi percarus fuit. Nam et prodigiorum sagacissimus erat et somniorum primus intellegentiam condidit, nihilque divini iuris humanique ei incognitum videbatur: adeo ut etiam sterilitatem agrorum ante multos annos providerit: perissetque omnis Aegyptus fame, nisi monitu eius rex edicto servari per multos annos fruges iussisset: tantaque experimenta eius fuerunt, ut non ab homine, sed a deo responsa dari viderentur¹⁾.

His verbis Iustinus vel Trogus Pompeius primordia gentis Iudaicae exponit; in relatione, quae porro sequitur, Iudaeorum ex Aegypto exitum narrat. Si inter Iustini excursus et ceterorum auctorum, qui de Iudaeorum origine aliquid tradiderunt, relationes comparisonem facimus, non possumus non nostri scriptoris narrationem omnium uberrimam, aequissimam, sacris Iudaeorum libris longe proximam iudicare. Nam et res Iudaicas illum a patriarchis, Iudaicae gentis auctoribus, repetisse easque sine ira et studio prosecutum esse videmus. Ceterum quin ea, quae Iustinus profert, ex pluribus fontibus emanaverint atque in unum coaluerint, nemo est, qui dubitet; hoc autem loco nostrum est inprimis huius relationis priorem

¹⁾ Iustin. Hist. Phil. epit. XXXVI, 2.

partem, quae est de Indaeorum origine Damascena, inspicere atque examinare.

Quod Iustinus Abrahamum et Israellem Iudaicae gentis auctores esse dicit, in hac re illum cum libris sacris prorsus consentire neminem fugit; illos vero reges Damasci fuisse vel imperium huius civitatis obtinuisse, memoriae nequaquam proditum est; atque ne hoc quidem in libris Hebraeorum reperi-mus, illos aliquando in hac urbe versatos esse. Sed etiamsi de hac re in illis libris nihil nobis traditum est, nihilominus Abrahamo usum quendam cum urbe Damasco fuisse ex loco quodam eorundem librorum nobis colligere licet. Legimus enim Abrahamum cum deo conquestum esse, se stirpe carere atque sine liberis discessurum, Eliezerum vero Damascenum omnia bona hereditate possessurum esse¹⁾. Cum autem Eliezer procurator secundum locum a patrefamilias obtineret, dubium non est, quin res alicuius momenti putanda fuerit, si Abrahami possessio ad virum Damascenum translata esset. Sunt igitur, qui censeant, fortasse illis verbis opinionem, Abrahamum regem Damasci fuisse, esse exortam²⁾. At omnes certe concedere putamus, hanc rem leviolem esse, quam ut nostram relationem afferre potuerit; immo vero hanc narrationem non ex fama sed ex facto esse repetendam nos quidem existimamus; verisimillimum enim est, Abrahamum ipsum, cum ex Mesopotamia in terram Kanaan transmigraret, aliquantulum in urbe Damasco versatum esse ibique Eliezerum Damascenum sibi comitem adiunxisse.

Damasci autem, urbis Syriae antiquissimae, non solum in libris Hebraeorum³⁾, sed etiam in inscriptionibus Aegyptiis regis Thutmosis III. (1591—1565 a. Chr. n.), qui arma usque

¹⁾ I Moys. 15, 1—4.

²⁾ Cf. Keil „Biblischer Commentar über die Bücher Mose's“. Tom. I. p. 154 adnot.: „Hieraus scheint die Sage entstanden zu sein, dass Abram in Damascus König gewesen . . . obgleich in unserer Stelle nicht einmal soviel deutlich liegt, dass Abram den Elieser auf seinem Durchzuge durch Damascus erworben hatte“.

³⁾ I Moys. 14, 15 et nostro loco 15, 3.

ad Euphraten protulit, nomine „Thamasku“ mentionem fieri constat¹⁾. Itaque nemo infitietur, facile fieri potuisse, ut memoria patriarchae Abrahami in urbe Damasco nulla unquam oblivione deleta sit, sed usque ad posteriorem aetatem permanserit. Quae cum ita sint, etiam illa verba recte intellegere possumus, quae Nicolaus Damascenus, Octaviani Augusti et Herodis Magni familiaris, in opere suo historico, quod inscribitur „*Ἱστορίαι*“ profert. In quarto enim libro Historiarum, in quo antiquissimam Lydorum historiam enarrat, Damasci quoque historiam priscam inseruit cum alia tum haec dicens: „*Ἀβράμης ἐβασίλευσε Δαμασκοῦ, ἔπηλυσ σὺν στρατῷ ἀφικόμενος ἐκ τῆς γῆς τῆς ὑπὲρ Βαβυλῶνος Χαλδαίων λεγομένης. Μετ' οὐ πολὺν δὲ χρόνον ἐξαναστὰς καὶ ἀπὸ ταύτης τῆς χώρας σὺν τῷ σφετέρῳ λαῷ εἰς τὴν τότε μὲν Χαναanaίαν λεγομένην, νῦν δὲ Ἰουδαίαν, μετόκησε, καὶ οἱ ἀπ' ἐκείνου πληθύοντες, περὶ ὧν ἐν ἑτέρῳ λόγῳ διέξειμι τὰ ἱστορούμενα*“²⁾. Iosephus autem, qui illa verba Nicolai in Antiquitatibus suis nobis tradidit, haec subiicit: „*Τοῦ δὲ Ἀβράμου ἔτι καὶ νῦν ἐν τῇ Δαμασκηνῇ τὸ ὄνομα δοξάζεται, καὶ κώμῃ ἀπ' αὐτοῦ δείκνυται Ἀβράμου οἰκησις λεγομένη*“³⁾.

Hanc igitur narrationem, Abrahamum regem Damasci fuisse, ab antiquissimis temporibus esse repetendam, ex illis locis apparet; quam ut in ipsa Damasco esse ortam neque ab Hebraeorum memoria profectam censeamus, multis causis movemur. Ac primum quidem libri Iudaeorum, ut supra diximus, Abrahamum non modo non Damasci regnasse tradunt, sed ne hoc quidem, illum hanc urbem in itinere suo attigisse. Deinde inter Damascenos et Iudaeos veteres inimicitiae erant atque alteri ab alteris semper fere usque ad regnorum interitum bello lacescebantur⁴⁾; post Alexandri autem aetatem Iudaeos apud

¹⁾ Cf. Duncker l. l. I. p. 122, 123.

²⁾ Nicol. Damasc. fragmentum apud Ios. Ant. I, 7, 2.

³⁾ Ios. l. l.

⁴⁾ Iam David rex Syriam Damascenam subegit praesidiumque in urbe posuit. II Reg. 8, 6; cf. Duncker l. l. II. p. 121. Sed Salomone

omnes fere nationes, inprimis apud Syros magno odio fuisse neminem fugit. Ob eam rem haud probabile esse videtur, Damascenos Abrahamum, Iudaicae gentis auctorem, memoriam aliquam Hebraeorum sequentes sibi regem vindicasse. Accedit, quod Damasceni non magis cognatione cum incolis terrae Kanaan coniuncti erant quam a meridie Philistaei¹⁾. Damasceni enim ab Hebraeis ipsis non in filiis Kanaan numerabantur; in inscriptionibus autem Assyriorum illi in numero Arimi i. e. Aramaeorum habentur²⁾. Denique nomen Abrahami non solum apud Iudaeos, sed etiam apud alias vicinas gentes notum atque celebratum fuisse videtur, ut complures eum suum esse dicerent et Iudaei Hellenistae studio quodam atque amore impulsu praeter ceteros eius vitam describere studerent³⁾. Hecataeum autem Abrahami non solum obiter meminisse, sed iustum de eo librum scriptum reliquisse Iosephus auctor est⁴⁾.

Quod vero Iustinus Abrahamum regem Damasci fuisse asseverat, non est, cur miremur. Nam et Abrahamum re vera inter aequales locum principis obtinuisse certum est, eumque a compluribus auctoribus inprimis ab Iudaeis Hellenistis modo

regnante Iudaei Damasco expulsi sunt. III Reg. 11, 23 sqq.; 20, 1 sqq. Regno autem Iudaico diviso, cum saepe a regibus Iudaeorum ipsis inter se certantibus Damasceni modo ab his modo ab illis contra civitatem vicinam in auxilium vocarentur, bella non prius conquieverunt, quam saeculo nono et octavo a. Ch. n. Damascus cum Assyriis, qui imperii fines usque ad Syriam et Palaestinam tum proferebant, bello implicata est. III Reg. 11, 23 sqq.; 15, 16 sqq.; 20, 1 sqq. etc. Cf. Duncker II. p. 141, 191, 196, 200 etc. Anno 732 autem Tiglath-Pilesar IV. (745—727) post diuturnam obsidionem Damascum cepit, regem Rezon necavit, incolam vi abduxit. IV Reg. 16, 9; Is. 7, 1 sqq. etc. Cf. Schrader „Keilinschriften und das alte Testament“. p. 148 sqq. Duncker l. l. II. p. 267; Maspero l. l. p. 356.

¹⁾ Duncker l. l. I. p. 316.

²⁾ Schrader l. l. p. 31 sqq. et locos supra laudatos. Duncker l. l.

³⁾ Velut Eupolemus, Artapanus, Molo, Philo, Cleodemus apud Alexandrum Polyhistorum. Cf. Müller. fgt. hist. Graec. III. p. 206 sqq. et supra p. 18.

⁴⁾ Ios. Ant. I, 7, 2: „Ἐκαταῖος δὲ καὶ τοῦ μνησθῆναι πλέον τι πεποίηκε· βιβλίον γὰρ περὶ αὐτοῦ συνταξάμενος κατέλιπε“. Ceterum de isto Hecataeo cf. supra p. 18.

magum et astrologum, modo somniorum interpretem atque virum omnium artium gnarum appellari et praedicari videmus. Utrum haec de regno Abrahami relatio post Euhemeri aetatem ex divina veneratione, qua Damasceni illum antea persecuti sint, profecta sit, ut nonnulli suspicantur ¹⁾, necne, in medio relinquamus oportet, praesertim cum ex iis locis, quos illi laudant, nequaquam effici cogique possit, Damascenos Abrahamo divinos honores habuisse ²⁾.

Iam vero de quaestione, ex quo fonte Trogus Pompeius narrationem suam sumpserit, pauca nobis dicenda erunt. Heerenius quidem ei ad hanc relationis partem scribendam Posidoni Apamensis historias praesto fuisse contendit ³⁾. At videamus, ne de hac re falso iudicaverit. Nam si rem accuratius cognoscemus, Posidonium Iudaeos ab Aegypto originem ducere scripsisse atque inique infestaeque de gente Iudaica iudicasse inveniemus ⁴⁾; Trogum Pompeium vero illos ab illustrissimis Damasci regibus repetere vidimus. Itaque hunc auctorem hoc loco libris Posidoni usum esse non verisimile est. Immo Trogus Pompeius illa verba ex fontibus Damascenis hausisse videtur, fortasse ex libris Nicolai Damasceni, qui, cum Damasci natus omnibusque disciplinis esset eruditus, certe rerum Damascenarum haud ignarus erat, quemque Abrahami, regis Damasci, iisdem fere verbis quibus Iustinum mentionem facere supra demonstravimus. Negari quidem non potest, si hoc statuamus, nobis timendum esse, ne ratione temporis in angustias adduci videamur, cum Trogum Pompeium et Nicolaum Damascenum aequales fuisse probabile sit. Sed nihilominus hanc difficultatem, quae aliquam dubitationem nobis

¹⁾ Cf. Müller „Bericht des Tacitus über die Juden“. p. 955.

²⁾ Id quidem certum est, ex verbis „τὸ ὄνομα δοξάζεται“ cultum divinum confici non posse.

³⁾ Heeren: „De Trogi fontibus“. In comment. soc. Goett. XV. 1804.

⁴⁾ Apud Diodorum ex libro XXXIV, 1: „Μόνους γὰρ ἀπάντων ἔθνων ἀκοινωνήτους εἶναι (sc. τοὺς Ἰουδαίους) τῆς πρὸς ἄλλο ἔθνος ἐπιμιξίας καὶ πολεμίους ὑπολαμβάνειν πάντας. Ἀπεδείκνυνον δὲ καὶ τοὺς προγόνους αὐτῶν ὡς ἀσεβεῖς καὶ μισουμένους ὑπὸ τῶν θεῶν ἐξ ἀπάσης τῆς Αἰγύπτου πεφυγαδευμένους“. Cf. Ios. C. Apion. II, 7.

afferre possit, aliqua ex parte tolli posse putamus. Trogus Pompeius enim historias suas post annum 760 a. u. c. confecisse videtur¹⁾; Nicolaum vero, si verbis libri, qui inscribitur „Περὶ τοῦ ἰδίου βίου“, nobis niti licet, historiam suam universalem, quam Herodi Magno scripsisse ipse testatur, usque ad tertium iter, quod anno 746 a. u. c. cum illo rege Romam fecit²⁾, si non perfecisse, tamen maximam partem composuisse statuendum est³⁾. Praeter haec Nicolaum saepe Romae versatum esse eique cum multis usum atque consuetudinem fuisse legimus⁴⁾ quo facile fieri potuit, ut eius librorum Romani brevi notitiam haberent. Ceterum cum de Trogo Pompeio, et quando vixerit et quo anno „Historias Philippicas“ peregerit, nihil amplius nobis traditum sit, de hac re certum iudicium ferre non audemus.

In hac autem narratione et res et fabulas confusas esse manifestum est. Refert enim Iustinus, primo regi Damasci nomen Damascum fuisse, ab eoque illam urbem nomen accepisse; Atharem autem, regis uxorem, divino honore cultam esse. Nec minus Assyriorum fabulas, quas ubique per Asiam minorem, Syriam etiamque per insulas et litora Graeciae dispersas atque divulgatas esse constat, hoc loco reperimus. In his numeranda est opinio, Assyriorum quoque reges a stirpe Damascena „ex regina Semirami“ originem ducere. Atharem autem, illam regis Damasci uxorem, eandem esse intellegendam atque *Δερκετώ*, deam Assyriorum⁵⁾, cuius in

¹⁾ Cf. Teuffel „Geschichte der römischen Literatur“. p. 558.

²⁾ Cf. Schürer l. l. p. 195.

³⁾ Nicol. Damasc. De vita sua. fgt. 4 apud Müller. fr. hist. Gr. III. p. 351: *Ἀνθ' ἰστορίας αὐτὸν (sc. Ἡρώδην) ἔρως ἔλαβεν . . . Καὶ ἐπὶ τοῦτο ὀρμήσας, προὔτρεψε καὶ Νικόλαον πραγματευθῆναι τὰ περὶ ἰστορίαν. Ὁ δὲ μείζονι ἐφέσει ὀρμήσεν ἐπὶ τὸ πρᾶγμα, πᾶσαν ἀθροίσας τὴν ἰστορίαν, μέγαν δὲ πόνον ὑποστάς καὶ οἶον οὐκ ἄλλος ἐν πολλῷ δὲ χρόνῳ φιλοπονήσας ἐξετέλεσεν αὐτὴν . . . Ἐκ τούτου πλέων εἰς Ῥώμην ὡς Καίσαρα Ἡρώδης ἐπήγετο τὸν Νικόλαον ὁμοῦ ἐπὶ τῆς αὐτῆς νηὸς, καὶ κοινῇ ἐφιλοσόφουν.*

⁴⁾ Nicol. Damasc. l. l. fgt. 6 apud Müller. l. l. p. 355.

⁵⁾ Movers l. l. I. p. 594, 595.

inscriptionibus Assyriis nomine Is-tar mentio fiat¹⁾, viri docti demonstraverunt. Strabo quidem Ἀθαράν nominis mutatione apud barbaros „Αταργάτιν“ dici, a Ctesia vero „Αερετω“ vocari auctor est²⁾. Vocabulum autem „Αθαρά“ a voce „Athares“ minime differre certum est.

Nomina denique regum Azeli et Adoris, quos Abrahamo regno successisse Iustinus tradit, utrum ficta sint ex nominibus regum posterioris aetatis Hazael et Ben-hadad, qui in libris Hebraeorum³⁾ et in monumentis Assyriorum⁴⁾ iterum ac saepius commemorantur, an re vera antiquissimis temporibus Damasci reges nominibus Azelus et Adores fuerint, hanc quaestionem vix quemquam solvere posse putamus. Quod autem Ewaldus suspicatur, in voce „Adores“ nomen „Eliezer“ fortasse esse quaerendum, cum ‘Ader vel ‘Ador vocabulo ‘Ezer saepe permutentur⁵⁾, hanc sententiam non nisi coniecturam haud probabilem esse censeamus, cui remotis his omnibus propterea assentire non possumus, quod illam Abrahami regni memoriam non repetendam esse ex libris Hebraeorum demonstrare supra conati sumus. Iosephus quoque narrat reges Hadad et Hazael a Damascenis in deorum numero haberi, quin etiam illos pompam in eorum honorem ducere, quod Damascenos multis beneficiis affecerint eorumque urbem aedificiis exornaverint. Cum autem adiungit, Damascenos de antiquitate horum regum gloriari, quamquam illi centum et mille annos non attingant⁶⁾, et ipsum fortasse similem narrationem

¹⁾ Schrader l. l. p. 83.

²⁾ Strabo XVI, 4, 27.

³⁾ III Reg. 15, 18; 20, 1; IV Reg. 8, 7. 28; 12, 17 etc.

⁴⁾ Cf. Schrader l. l. p. 97. 103. 104. 105—109. 109. 110.

⁵⁾ Ewald „Geschichte des Volkes Israel“. I. p. 415. 416 annot.

⁶⁾ Ios. Ant. IX, 4, 6: „... ἐφ’ οὗ (sc. τοῦ δήμου τοῦ τῶν Λαμασκηνῶν) μέχρι νῦν αὐτός τε ὁ Ἀδαδὸς καὶ Ἀζάηλος ὁ μετ’ αὐτὸν ἄρχας ὡς θεοὶ τιμῶνται διὰ τὰς εὐεργεσίας καὶ τὰς τῶν ναῶν οἰκοδομίας, οἷς ἐκόσμησαν τὴν τῶν Λαμασκηνῶν πόλιν. Πέμπουσιν δ’ οὗτοι καθ’ ἑκάστην ἡμέραν ἐπὶ τῇ τιμῇ τῶν βασιλέων καὶ σεμνύνονται τὴν τοῦτων ἀρχαιότητα, οὐκ εἰδότες ὅτι νεώτεροί εἰσι καὶ οὐκ ἔχουσιν οὗτοι οἱ βασιλεῖς ἑτη χίλια καὶ ἑκατόν“. Iosephus haec de iis regibus

atque Trogum Pompeium ante oculos habuisse, illos vero reges antiquissimos cum regibus posterioris aetatis confudisse quis coniectare possit.

Sed haec hactenus. Quae amplius a Iustino narrantur veluti de Iosepho in Aegyptum deportato, de fame ibi exorta, multa cum libris Hebraeorum consentire apparet. Sed nihilominus Trogum Pompeium relationem suam, ut ex locis quibusdam, qui narrationi Iudaeorum repugnant ¹⁾, facile intellegi potest, non ex sacris libris ipsis sumpsisse existimamus; immo is Iudaeos illos Hellenistas, quos de rebus Iudaicis imprimis de patriarchis studio et amore scripsisse scimus, secutus esse videtur aut Alexandrum Polyhistorem ipsum, quem illorum scripta in opere suo, quod inscribitur „*Περὶ Ἰουδαίων*“, collegisse nemo ignorat ²⁾.

VII.

Iudaeos a liberis Semiramidis nomen (et genus) trahere.

Stephanus Byzantius, quem illam Claudii Iolai sententiam literis custodivisse iam supra diximus, alteram non

dicit, qui saeculo nono a. Chr. n. imperium civitatis Damascenae obtinuerant.

¹⁾ Ad hoc certe referenda sunt verba, Israellem felicem decem filiorum proventum maioribus suis clariorem fecisse, eundem populum in decem regna divisisse, filium Iosephi Moysem fuisse etc. Cf. Iustin. l. l. XXXVI, 2.

²⁾ Sunt quidem complures recentioris aetatis viri docti, qui quidem concedant, haec fragmenta re vera ab iis auctoribus esse conscripta, sub quorum nominibus edita sint; sed qui librum illum „*Περὶ Ἰουδαίων*“ falsum, a Iudaeo quodam confectum, Alexandroque Polyhistori, ut nomen celebratum cuiuspiam scriptorum Graecorum ostentaret, suppositum esse existiment. Dicunt enim, historias Iudaicas atque fabulas colligere non Graeci sed Iudaei esse. Cf. Freudenthal l. l. p. 176 sqq. Sed non est, cur de integritate libri dubitemus. Primum enim neque Graecos neque Romanos dubitasse de rebus Iudaicis scribere, immo curiositate quadam ad eas aggressos esse inter omnes constat. Deinde, quod caput est, potissimum compilatoris esse putamus res, quascunque inveniat, undique colligere, ut ex fragmentis reliquorum librorum Ale-

minus miram ex libro Alexandri Polyhistoris depromptam nobis his verbis tradidit:

„*Ἰουδαία . Ἀλέξανδρος ὁ Πολυῆστωρ ἀπὸ τῶν παίδων Σεμιράμιδος Ἰούδα καὶ Ἰδουμαία*“¹⁾).

Alexander Polyhistor igitur Iudaeos (et Idumaeos) a liberis Semiramidos „Iuda“ (?) et „Idumaea“ (?) denominatos esse refert. Etiam si hoc loco non tam de origine Iudaeorum quam de nominis explicatione agitur, tamen, si sententiam fabulosam atque contextum respicimus, vix hanc ab illa distingui posse putamus.

Profecto non operae pretium esse videretur de hac sententia tam absurda tamque inepta multa verba facere, nisi de nomine Semiramidis, quid hoc loco sibi velit, pauca nobis dicenda essent.

Dubium quidem non est, quin haec verba ad eum morem sint referenda, quo veteres ex nominibus nationis vel gentis cuiusdam auctorem generis fingere, nationemque vel gentem

xandri, qui inscripti sunt „*Χαλδαϊκά*“, „*Ἀσσύρια*“ etc. satis apparet. Denique recte indicat Freudenthal sub finem quaestionis suae l. l. p. 182 sq.: „Der Sammler dieser Excerpte hat Juden und Heiden, Palaestiner und Samaritaner, Hellenisten und Hellenen zusammengeführt und so Gegensätze vereinigt, die nur für einen Heiden nicht unvereinbar waren . . . Fehler und Sünden jeder Art . . . andere Missverständnisse und Gewaltsamkeiten, wie sie uns in grösster Zahl entgegengetreten sind, beweisen, dass wir es hier mit einem Manne zu thun haben, der zwar nicht wissentlich fälscht, aber eilfertig ohne Verständniss, ohne bestimmte Absicht, ohne Interesse für den Inhalt seiner Texte, sie auf gut Glück zusammenrafft. Das aber lässt sich nur von einem Heiden annehmen; ein Jude würde sie mit grösserer Sorgfalt und mit grösserem Verständniss behandelt haben. Welcher Grund hätte ferner einen Juden dazu verleiten sollen, ein derartiges Conglomerat von Excerpten zu fälschen? Diese selbst gewannen nicht an Autorität durch den ihnen vorgesetzten Namen des Polyhistor, der sie nicht einmal durch sein eigenes Urtheil anerkannt, sondern nur eben flüchtig zusammengestellt haben sollte. Sie erhielten durch die Fiction auch nicht das Ansehen besonders hohen Alters, denn es liegen nur etwas mehr als hundert Jahre zwischen der Sammlung der Bruchstücke und ihrer Benutzung durch Josephus“.

¹⁾ Müller. fgta. hist. Gr. III. p. 237.

ab illo ortam esse dicere solebant. Itaque ut Graeci Hellenem, filium Deucalionis, auctorem nationis suae fuisse, gentes Aeoles,iores, Iones, Achaeos ab Aeolo, Doro, Ione, Achaeo, filiis et nepotibus Hellenis, oriundas atque vocatas esse confirmabant, ita etiam ex gentium Iudaeorum et Idumaeorum nominibus auctores fingere eosque illis supponere non dubitabant. Hoc autem loco Iudam et Esau vel Edom, quos veros auctores illarum gentium fuisse ex sacris libris novimus ¹⁾, non intellegendos esse, ex fabulosa relatione Alexandri Polyhistoris satis apparet neque disputatione opus est.

At quid Iudaeis cum Semiramide commercii est? Haec res aliqua ex parte explicari non potest nisi ex iis, quae veteres de illa regina fabulabantur. Iam apud Trogum Pompeium vel Iustinum scriptum legimus, Semiramidem ab urbe Damasco ortam esse, unde ille etiam Iudaeos originem ducere

¹⁾ Sane Iudam, filium patriarchae Iacob, auctorem gentis Iudae fuisse, ab eoque nomen „*Ιουδαίων*“ repetendam esse neminem fugit. Cum autem prius fines gentis Iudae tantum hoc nomine appellarentur, postea Palaestinae omni crebro nomen „*Ιουδαία*“ erat. Auctores Graeci quoque hanc appellationem usurpant. Cf. Clearch. apud Ios. C. Apion. I, 22; Strabo XIII, 2, 34 sqq.; Ptol. V, 16, 1 etc.; Diod. Sic. XXX, 3; Dio Cassius quidem XXXVII, 16 haec dicit: „*ἔχουσι δὲ (sc. οἱ Σύροι οἱ ἐν Παλαιστίνῃ) καὶ ἕτερον ὄνομα ἐπικλητόν · ἥ τε γὰρ χώρα Ἰουδαία καὶ αὐτοὶ Ἰουδαῖοι ὠνομάσθαι · ἥ ἐπικλήσις αὕτη ἐκείνοις μὲν οὐκ οἶδ' ὅθεν ἤρξατο γενέσθαι · φέρει δὲ καὶ ἐπὶ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους ὅσοι τὰ νόμιμα αὐτῶν καίπερ ἄλλοεθνεῖς ὄντες ζήλοῦσιν*. Item nummi, quos Romani Iudaeis subactis cuderant, inscriptione „*Iudaea capta*“ signati erant.

Idumaeam (*Ἰδουμαίαν*) vel Edom, terram inter Iudaeam, Arabiam Aegyptumque sitam ab Esau vel Edom, filium Israelis, nomen trahere sacri libri testimonio sunt. (I Moys. 25, 30. Cf. Ios. Ant. II, 1, 1.) Posteriore tempore Iudas Maccabaeus Idumaeos, qui semper fere contra Iudaeos hostilia agebant, devicit, devictosque Iohannes Hyrcanus circumcisione Iudaeis adiunxit. (I Macc. 5, 3. 65; Ios. Ant. XIII, 9, 1; XV, 7, 9.) Idcirco postea auctores Graeci et Romani, cum Palaestinam intellegi volunt, saepe nomine „*Ἰδουμαία*“ (Idumaea sive Idume) aequae atque „*Ἰουδαία*“ utuntur. Cf. Ael. Hist. anim. VI, 17; Virg. Georg. 3, 12; Lucan. III, 216; Mart. Epigr. II, 2, 5; X, 50; Strabo vero XVI, 2, 2 unam ab altera distinguit; XVI, 2, 34 Idumaeam partem Iudaeae esse dicit.

ait¹⁾. Syriam autem atque oram Phoeniciam Philistaeamque fabulis Assyriis ubique repletam esse constat; inprimis cum urbe Ascalone nomen Semiramidis connexum erat²⁾. Ibi enim Semiramidem natam atque educatam esse ferunt, inde Niniven, in caput Assyriae, esse profectam et Nino coniugi mortuo regno successisse; illo tempore Phoenicen et Syriam finesque Palaestinarum sub illius reginae ditione atque imperio fuisse³⁾. Atque ut Semiramis in Babylonia et Assyria vias munivisse et emporia coloniasque condidisse traditur, ita veteres etiam in Syria et Palaestina complures urbes veluti Hierapolim, Damascus, Gadara ab illa conditas esse narrant⁴⁾. Semiramidem autem non solum reginam clarissimam Assyriae esse praedicatam, sed etiam divino honore cultam atque in dearum numero relatam ex multis veterum auctorum locis comperimus⁵⁾. Ascalone quidem ut dea Urania colebatur, eiusque cultum etiam usque ad Paphum et Cythera penetrasse Herodotus et Pausanias testantur⁶⁾.

Ceterum quaecumque apud veteres de regina Semiramide scripta invenimus, atque adeo relationem, mulierem nomine Semiramidem unquam in Assyria regnasse in numero fabularum habenda esse, quae nequaquam historiae fide comprobari possint, viri doctissimi recentioris aetatis demonstraverunt. Dicunt enim Semiramidem nullam aliam esse quam deam Is-tar, id est Aphroditen Assyriam⁷⁾; ex monumentis autem Assyriis patet, Assyrios numen quoddam coluisse, quod et belli et amoris deam putabant⁸⁾. Utcumque res se habet, magnam variamque copiam fabularum huic nomini annexam esse certum est. Ita fieri potuit, ut eo tempore, quo Assyrii imperium orbis terrarum constituere conabantur eorumque vis

¹⁾ Justin. l. l. XXXVI, 2.

²⁾ Diod. Sic. II, 4 sqq.

³⁾ Suidas v. Semiramis; Diod. Sic. II, 16.

⁴⁾ Movers l. l. II, 1. p. 260 sqq.

⁵⁾ Diod. Sic. II, 4 sqq. et alii.

⁶⁾ Herod. I, 105; Paus. III, 23, 1. Cf. Movers l. l. I. p. 631 sqq.

⁷⁾ Cf. Duncker l. l. II. p. 20. 21; Maspero l. l. p. 277.

⁸⁾ Duncker l. l. Maspero l. l.

atque auctoritas usque ad Palaestinam pertinebant, ubique locorum illae de dea et regina Semiramide fabulae diffunderentur¹⁾. Graeci vero Semiramidis, quae a poëtis epicis Chaldaeorum auctor rerum Assyriarum summis laudibus celebrabatur, postea tempore bellorum Persicorum scientiam consecuti sunt²⁾.

Ne multa: ex his, quae diximus, satis intellegitur, nomen Semiramidis in Syria et Palaestina pervulgatum atque celebratum fuisse, ut saltem aliquo modo in nostra relatione illam Semiramidis cum Iudaeis comparisonem interpretari possimus. Ut in pauca conferamus, sive Alexander Polyhistor ipse illorum verborum auctor est, sive, id quod probabilius esse videtur, apud aliquem auctorem ea repperit libroque suo „Περὶ Ἰουδαίων“ inseruit, haec scribere certe non historici sed fabulatoris est atque relatio nostra in illis absurdis fabellis iuste numeratur, quae plurimae a scriptoribus parum criticis et otiosis de Iudaica gente inveniebantur et divulgabantur.

Hac relatione unam partem disputationis nostrae, quae de Iudaeorum origine veteres iudicaverint, concludimus, cum alteram, in qua de Iudaeis ab Assyriis, Aethiopibus, Idaeis, Aegyptiis oriundis compluria nobis dicenda erunt, alio tempore, ut iam supra promisimus, tractare in animo habeamus. Ad hanc vero disputationem eo consilio aggressi sumus, ut quoad fieri posset, ad verum accederemus. Nonnulla quidem earum rerum, de quibus disserimus, fortasse leviora atque ineptiora esse videantur neque digna, quae attingantur; sed ut hanc rem integram perficeremus, illa nobis non praetereunda esse putavimus. Insuper nos quidem non ignoramus, in hac parte nostrae quaestionis nequaquam omnem difficultatem sublatam esse; immo nonnihil tam dubium tamque obscurum esse, ut aliquid certi erui nequeat. Sed aquiescimus, si forte paululum ad rem illustrandam contulerimus.

¹⁾ Duncker l. l. I. p. 336. 337; Maspero l. l. p. 286. 325. 444. Cf. Schrader l. l. p. 84.

²⁾ Cf. Maspero l. l. p. 277.

I n d e x.

	Pag.
I. Quae fuerit Iudaeorum adversus Graecos Romanosque conditio	5
II. Iudaeos ortos esse ab Indis	19
III. Iudaeos a Magis genus ducere	22
IV. Iudaeos Thebis emigrasse	24
V. Auctores gentis Iudaicae esse Solymos	28
VI. Iudaeis originem Damascenam esse	34
VII. Iudaeos a liberis Semiramidis nomen (et genus) trahere . .	42

Index

- I. Quae sunt Indorum advena Graeco Romanorum nomina 5
- II. Indorum nomina advena Graeco Romanorum nomina 10
- III. Indorum nomina advena Graeco Romanorum nomina 15
- IV. Indorum nomina advena Graeco Romanorum nomina 20
- V. Indorum nomina advena Graeco Romanorum nomina 25
- VI. Indorum nomina advena Graeco Romanorum nomina 30
- VII. Indorum nomina advena Graeco Romanorum nomina 35